
APOLOGIA PRO CLERO, ET ALIIS CA= THOLICIS HVN- GARIÆ,

Sive

REFVTATIO LI- BELLI, CVI TITVLVS

est, QVÆRELA HVNGARIÆ, qui causas Belli Hungarorum, adversus FERDINANDVM Secundum, Electum Romanorum Imperatorem Semper Augustum, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Regem, &c. CLERVM, ac alios Catholicos esse, confinxit.



SCRIPTA

à

THOMA BALASFI ELECTO
Episcopo Bosznense, & Præposito Posoniense.

VIENNÆ AVSTRIÆ, Apud Gregorium Gelbhaar, in Contubernio Agni, ANNO M. DC. XX.

3. ESDRÆ CAP. 4
verſ. 41.

Magna eſt veritas & præ-
valet.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOmino, Dño ASCANIO GESVALDO, Patriarchæ Constantinopolitano, Archiepiscopo Barensi & Canusino, ac per Germaniam, Hungariam, Bohemiam, vniversumque Imperij Districtum, cum authoritate Legati de latere, Nuncio Apostolico.

THOMAS BALASFI
Electus Episcopus Bosznensis, Præpositus Posoniensis, felicitatem.



VM Apologiam istam luce donandam cogitarem, PATRIARCHA ILLVSTRISSIME, primus cui illam dedicarem occurristi, & officio

3. ESDRÆ CAP. 4
verſ. 41.

Magna eſt veritas & præ-
valet.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO,

Dño ASCANIO GESVALDO, Patriarchæ Conſtantinopolitano, Archiepiſcopo Barenſi & Canuſino, ac per Germaniam, Hungariam, Bohemiam, vniverſumque Imperij Diſtrictum, cum authoritate Legati de latere, Nuncio Apoſtolico,

THOMAS BALASFI
Electus Epiſcopus Boſznenſis, Præpoſitus Poſonienſis, felicitatem.



VM Apologiam iſtam luce donandam cogitarem, PATRIARCHA ILLVSTRISSIME, primus cui illam dedicarem occurriſti, & officio

officio & merito. CLERVS enim accusatus est infami, & infamatorio Libello, illius causam defendo, huic respondeo. Tam defensio, quàm responsio, ad te fuit referenda; qui Partium istarum CLERO, Judex ab eo datus es, apud quem suprema residet CLERI, imò & totius Ecclesiæ in terris authoritas. Meritum tuum ab hac officij tui dignitate non separo, illud enim ad hanc gradus tibi fuit, vt quod vni, illud vtrique debeatur. At Libellus ille, non solũ CLERVM, ex quo duos etiam magnos CARDINALES, alterum ante multos, ante paucos Annos alterum, piè vitâ functos, laxato stilo nominatim criminatur, sed & AVGVSTISSIMVM IMPERATOREM FERDINANDVM SECVNDVM, HVNGARIÆ AC BOHEMIÆ REGEM, mendaci penicillo pingendo traducit, injurius etiam est, in alios quoq;, & probos, & magnos, & Illustres Viros, Responsio itidem, omnium istorum causâ, conscripta. Ita est. Sed quicquid læsæ tantæ MAIESTATIS

reus

reus Criminator, ſive Regio, ſive aliorum nomini carpendo commentus eſt, CLERO, tanquam Authori, adſcripſit, neq; de Rege tot verba fecit, quot de CLERO crimina, quot convicia. Hunc primum ſibi finxit, quem feriret, ſed majore lędendi affectu, quàm effectu, ſi calamorum, non armorum vires ſentiamus, illis enim ſcribendo reſpondemus, his ferendo vel fugiendo, in vtroque tamen victores, ſive veritatis luce, ſive patientiâ perſecutionis, illam pro re quam tracto, & modulo meo quo poſſum, hac Apologiâ exprimo, hanc, & ego, & totus CLERVS HVNGARIÆ, & animo & vultu, illam multorum causâ, ne irredarguta falſitas multos ludificetur, hanc noſtrâ, ne nosipſi noſmetipſos; nam.

Bonus animus, in malâ re, dimidium eſt mali, Plaut: in Pſeudol. Actu. 1.

Vultus index animi. Tu ſine hâc, imò ſine vllâ ſcriptione, non ſolum audis, ſed & vides, nec tantum quid, ſed & quàm iniquè agatur cum CLERO, quin & cum REGIA MAIESTATE à PRÆDICANTIBVS in

Hungariâ, & cum Hungariâ, quam (vtinam falſus ſim vates) timendum ne brevi convertant in Turciam. Si enim cauſis effectuum præſagia inſunt, & rerum initia, quid de fine judicandum ſit, humanum intellectũ inſtruunt, neſcio quid aliud expectandum. Spes omnis nobis in Deo eſt, cauſam ille ſuã non deſeret, Chriſto ſuo aſſiſtet, erit cũ Eccleſia. Credo Regias illas Reginaleſq; animas, Stephani, Ladislai, Emerici, Eliſabethæ, Margaretæ, & multas alias Gentis hujus nobiliſſimæ, vindicis Dei iræ, ne Hũgariã exterminet, beata precũ & poſtulationũ thura ac thymiamata adolere, & ſemetipſas velut Hoſtias placẽtes ac placãtas, ante Tribunal exaſperati Iudicis, † *de cujus ore procedit gladius acutus, ut in ipſo percutiat Gentes*, offerre, precari, obſecrare, obteſtari, ne Hungaros, foris, hoc eſt in * Agris, gladio interficiat, intrinſecꝰ verò ſive in Civitatibꝰ, fame ac peſtilẽtiâ, ne Terra tã fertilis deſeratur, Civitates illius igni ſuccẽdantur Regionẽ Hungarorũ, corã Hungaris, & Hũgari, & per Hungaros, ex Europæ finibus, & Aſiâ atq; Africâ exciti † *alieni devorent, & deſoletur, ſicut in vaſtitate hoſtili.* Sed quidni etiã hoc, neq; ſine fundamen-

† *Apocal c. 19. v. 15.*

* *Ezech. c. 7. v. 15.*

† *Eſa. cap. 1. v. 7.*

damento cogitē, † vocem ſanguinis & aliorum † *Geneſ. ca. 4. v. 10.*
aliàs, & eorū jā, qui nuper Caſſoviæ planè bar-
barâ crudelitate trucidati ſunt, & plurimorum
qui poſtea alibi, de terrâ, de lapidibus, de ferro,
de Latrinâ, clamare in Cœlum, animas quoq;
* *interfectorum propter verbum* DEI, *& teſtimonium quod* * *Apocal. c. 6. v. 10.*
habebāt, dicere; *Vſquequo Domine ſanctus & verus, nō judicas*
& non vindicas ſanguinem noſtrum de ijs qui habitant in terrâ?
Si enim † Princeps Perſarum Angelus, reſtitit †*Daniel. c. 10. v. 13.*
Angelo Iudæorum, cur nō dicam in Cœlo, iſtā
precum ab Hungaris, & pro Hungaris, & cōtra
Hungaros, ſed ſine vllâ precantium diſcordiâ
diverſitatem? cur non timeam malorū pœnas,
ex Martyrū querelis atq; accuſationib9, quam-
vis ſperem veniam, ex interceſſione Confeſſo-
rum? Quorū tam iſtorū, quàm illorum viror ac
valor à Chriſto * eſt, ſicut palmitum à vite. Scio *Ioan. cap. 16. v. 4. & 5*
etiam DEI miſericordiā ab illius juſtitiâ ſepa-
rari nō poſſe, ſcio inter illas omnimodā eſſe æ-
qualitatē, quâ nec major, nec illi par cog ta-
ri, nec ipſa cogitando poteſt cōprehendi Quid
illas dico, in illa abſolutiſſimâ naturæ vnitate,
in quâ, & natura, & miſericordia, & juſtitia
DEVS eſt, & quàm DEVS vnus, tam hæc non
plura? Quid inquam illas dico, & nō illam, niſi
quia

quia, ſicut ab eodẽ Solis calore, & lutum ſiccatur, & Cera colliqueſit, ita à DEO, & miſericordiæ, & juſtitiæ opera, quæ inter ſe differunt, & quidem plura ſunt, quæ miſericordiæ, quàm quæ juſtitiæ tribui debeant, proficiſcuntur; imò & quæ ab illo juſta ſunt, (nihil enim ab eo manat injuſtum) quâdam quaſi miſericordiæ ſive

Pſalm.144. v.9. admixtione dicam, ſive cõdimento, ſunt temperata.

His dum animo altiore im̃oror, non deſpero Divinæ vindictæ lenimenta, Patriæ incendijs

† Prov.ca. 16.v.15. clementiam è Cœlo † quaſi imbrem ſerotinum, periculis tutamenta, tumultibus quietem, Bellis pacem, & quæ rerum cardo eſt, per quę illæ in melius vertentur, fidem Catholicam poſtliminio reducendam. Inter hanc tamen & ſpem bonorum, & majorũ Hungariæ malorum metum ac formidinem, nec precibus ad DEUM, nec ſcriptione cõtra Adverſarios, vbi opus eſt, & Patriæ, & æquitati deeſſe, æquum fuerit, non quia veritati periculũ im̃ineat, qui enim poſſit

** 3 Eſdræ cap 3 v 13* vinci, quæ *vincit omnia? ſed quoniã, ſicut ipſe

2 Corinth. cap.11.v.15 *Sathanas transfigurat ſe in Angelũ lucis, & Miniſtri ejus transfigurantur velut Miniſtri juſtitiæ, quorum finis erit ſecundum opera ipſornm*, ita & falſitas colores imitatur veri-

tatis,

tatis, & illa sub hujus mantello ac nomine, hospitium passim quærit, sæpè etiam invenit, sed in animis tantum incautorum. Quibus decipiendis scripta est QVERELA HVNGARIÆ, crasso filo, sive pingui, quod ajunt, Minervâ, apud prudentiores enim, nec illæ, nec aliæ, vel similes, vel etiam majores offuciæ, diverticulum invenient, nec illabētur in animos rectè sapientes, quibus, *operta quæ* putant PRÆDICANTES,

aperta sunt, patent præstigiæ, Plaut. Captiu: Actu 5.
Omnis res palam est.

Id conatus sum hac Apologiâ, vt qui decepti sunt, errorē agnoscant, qui deceperunt, redarguti, convictiq;, confundantur, & vel facti pœnitentiâ, se corrigant, vel pudore prohibiti, similiter inposterum ne delinquant. Si proposito meo effect9 respōdeat, est vnde leter; si qui animorū præjudicia exuere nolint, & malint decepti desipere, quàm de veritate edocti resipiscere, illi cū ratione pugnent, & videant quàm sint homines humani. Quid enim aliud est humanum esse, quàm rationi non adversari? Est

tamen ſic quoq; quod mihi aliquã lætitiam afferat, me nimirum officio meo, vel ſatisfeciſſe, vel non defuiſſe. Aliud etiam eſt quo delector, eſſe aliquid laboris mei, quod tibi, OPTIME PATRIARCHA, muneris loco offeram, non ex hujus operis cum meritis tuis comparatâ dignitate, par enim tibi ſit, qui illis paria offerat, ſed ex animi mei erga te obſervantiâ, quæ etſi maxima ſit, quæ à me poſſit proficiſci, nihil tamen illius etiam magnitudinem confero cum tuâ authoritate. Neq; enim qui gratus eſſe cupiat erga aliquẽ, qualis ego erga te, id, ſi ſapiat obſtinatè ambiat, vt beneficia exæquet gratitudine, rarò enim id accidit, nec niſi à magnis, qui pares ſint benefactorib9, vel in rebus maximis, quæ nõ ſint beneficijs inferiores. Neutrum mihi contigit, nec tu à me exigis. Et qui ſcias quantum tibi debeam, ego verò, & id, & cui, cũ ſolvendi animum habeam, facultas autem non ſuppetat exolvendi, tuâ illam benignitate ſupplebis, eâdemq; momentum addes gratitudini meæ, quæ ex ſuo valore parva, magna erit ex te acceptore.

Ne hoc quidem, quod apud multos uſu venit

nit, qui sua Scripta nuncupāt Viris magnis, affectare volui, in tuas me laudes calamo effundere, quis enim finis esset scriptionis, in tantâ argumentorum copiâ, ac ubertate? Et quoniam, vel ea, quæ tua propria sunt, hoc est, facta, merita, decora, dignitates, justum sibi Librum vendicant, non quo illustrentur, qui enim id tentet scribendo,

Vnâ operâ Ebur atramento candefacere postulet, Plaut: in Mostell: Act: 1.

vel Solis typo, superet Solem ipsum, & illi pingat radios, quàm huic sunt, splendidiores; nec quo recenseantur, quis enim enumeret tantam multitudinem? sed quo ex illis delibentur aliqua, quorum quæ summa sunt, quis consequatur oratione, cum & quæ mediocria, summum requirant Oratorem? Quis Generis tui stemmata, Romani, Sacri, Supremiq; Senat9 Cocco purpurata, tot Ducum, Principumq; serie, nominibus, famâ, antiquissimi temporis defluxu, non in Italiâ tantum, sed ex Italiâ tamen, & extra Italiam, longissimè latissimèq; propagata, & vt quæq;, & quando, à GESVALDIS præclarè gesta sunt, æquet Annalibus, nisi vel

ex

ex illis, quæ carptim attingat, volumina repleat, & mole magna, & materiâ. Ego his, nec ab ingenio, nec ab arte, nec à viribus sufficio dicendi scribendiq; operam impendere, impendo quam possum, admirando, & observando. Quod dum facio, tu me ueteri tuâ beneuolentiâ, quâ me, magnis in rebus, & consulendo, & consolando sustentasti, prosequi & complecti, conatumq; hunc gratitudinis, non à tuis beneficijs, sed à meis viribus, metiri dignare. Ita erit, ut quamvis tuam ego gratiam referre non possim, quod & agnosco, & profiteor quàm libentissimè, gratum tamen me existimes, vel ex hoc meæ erga te obseruantiæ argumento. Quod, si tuo judicio, consecutum me intelligam, precium id erit, operâ meâ longè majus, incitamentum ad majora, augmentum beneficiorum tuorum, nouus titulus meæ erga te obligationis. Æternum vale, ex uoto meo, ac precibus.

APOLOGIA PRO CLERO ET ALIJS CATHOLICIS HUNGARIÆ.

MAGNVS IN VVLGO, ſed à vulgo Lutherocalviniſtarum Prædicantium, in Hungaria ſparſus rumor increbuit, Catholicos, præcipuè Eccleſiaſticos, id deliquiſſe, vt perturbaretur Hungaria, & inteſtinum hoc malum, quo tam nobile corpus conſumitur, ab his membris promanaſſe. Clarius; Catholicos, primùm quidem Clerum, cauſam dediſſe, diſſenſionibus, Bellis, rapinis, incendijs, exilijs, cædibus, quibus vertitur, & ſubvertitur, Regnum tam amplum, florens, opulentum, quod vix aliquis domi ſecurus ab injurijs, plurimi qui in alios ſint injurij, reperiantur, multo labore difficulter parta, brevi irruptione facilè diſperſa, á Dominis in ſervos dividantur, quin Domini, in ſervos transverſa conditione commutentur; & qui ſtivas, qui aratra tractare, longè ab Aulis, & civilitate, conſueverant, mandata in Aulis dare, ſed ſine civilitate, familiariſſimum habeant; in Bella vel imbelles cogant, vt evertant, & exterminent pacem, rapiant ſacra & profana, ne ſit DEI, quod DEI eſt, ne ſuũ, quod ſuũ ſit, dicere poſſit quiſpiam, qui non ſit multis, audacior ad malum, promptior ad prædas, fortior ad vincendum; incendant, quæ poſtea etiam lachrymarum rivis vellent eſſe extincta; in exilium pellant, qui illos ne à patria, ne à Cœlo exulent, in illa conſervare, huc dirigere, & alijs laboribus, & fuſis ad DEVM orationibns contendant, cædant, quos peccaſſe neſciant, niſi fortaſſis in eo, quod in

neminem voluerint peccare, Regem Regno, & ſeipſos à fide in Regem exuere, transferre in alium, à quo paulò poſt, hoc eſt, vbi & quò collibuerit, & Regnum auferant, & fidem avertant, id inprimis cogitent, & curent, alia tamen mala citius exequantur, quæ primo cogitationum ſcopo deſerviant, paucis multa; jura in injurias, leges in licentiam, ordinem in chaos transforment, ſi forma eſſe poſſit, in confuſa rerum omnium permixtione.

His, ſi Authores ſunt Catholici, ſi inter illos Eccleſiaſtici, illi omnes multum delinquunt, hi plurimum; & ſicut culpæ, ita etiam pœnæ, vt primas partes, Clerus habeat, adeò dignum cenſeo, vt neceſſarium videatur. Qui enim alijs ductum ad pacem præſtare debeant, cur alios in Bella protrudant? Qui pro Regis & Reipublicæ ſalute ac tranquillitate orant in Eccleſijs, cur extra Eccleſias, in Regis & Reipublicæ periculum, ſeditiones, in quibus ſalus eſſe non poteſt, turbas ac tumultus, in quibus nulla tranquillitas, commiſceant? Neq; fidei

Zach. ca. 8. v. 19. Catholicæ, quæ ex Scripturis ſacris pacem commendat, neq; Sacerdotio, quod pro pulpitis pacem deprædicat,

Marci c. 9. v 50. conveniens eſt, ita Catholicos cum fide Catholica, Sacerdotes cum Sacerdotio non convenire, vt quam cum

Ioan. ca. 16. v. 33. omnibus hominibus, Spiritu Sancto ſuggerente, † Apoſtolico ex ore pacem habendam & ſectandam acceperunt, illam nec habere velint, neq; ſectari.

† Rom. 12. v. 18. 2. Corinth. ca. 13. v. 11. Heb. ca. 12. v. 14.

Si verò rumor iſte, ab eorum figmentis, qui illum ſpargunt, non ab eorum delictis, qui traducuntur, originem accepit, hoc eſt; ſi turbarum authores, quales ſe gerunt, tales ab alijs haberi, & dici, cum nolint, facti ipſorum

rum nomen in Catholicos transmoveant, primum quidem in Ecclesiasticos, & cum illi ipsi, tales & sint, & velint esse, alios tamen, qui nec sunt, nec esse volunt, turbatorũ nominibus infamant, sicut alia omnia per vim faciunt, ita turbatorum appellatione, insignem Catholicis omnibus injuriam turbatores inferunt. Hanc notam, hanc maculam, has sordes, vna veritatis litura delerem, si illa, vnicô se intuitu spectandam præberet omnibus, si rerum, atq; causarum status, varijs figmentorum vmbris & caligine, fallaciumq; imaginationum involucris, ab Authoribus turbarum obtectus, simplicium animos, qui examinandis rerum momentis atque ponderibus, neq; tempus tribuunt, neq; diligentiam adhibent, non eluderet; quibus mala arte, & persuasionibus malorum deceptis, & lucrum temporis, & laboris, adferet, in re alias facili, quam tamen, turbarum Authores, difficilem vt faciant, neq; cogitationes, neq; operas vllas intermittunt, si lucidæ ac succinctæ scriptionis præsidio, & via præmonstretur, & ex illa impedimenta tollantur, & quasi fores aperiantur, quas Adversarij PRÆDICANTES, clausas esse cuperent, rescisso veritatis velo, nudam illam intuendi. Me itaque, veri amor, falsi odium, ad vindicandas, nõ ferro, sed calamo, CLERI, & aliorum Catholicorum, imò ipsius veritatis injurias, commoverunt, quas calumniandi libido, sicut in bibulam ac sitientem terram copiosus imber descendit, ita in avidam novitatis plebem effudit, quæ jam decepta, hoc rumore diffluit, Catholicos, sed eorũ primos Ecclesiasticos, Authores, incentores, & promotores esse Hungariæ turbarum, ac Bellorum. Si humani corporis

membra, sibi invicem condoleant, & totius integritate quodammodo etiam sensu partium ministeria deserviant, quidni ego indignum Ecclesiæ membrum, hæc verborum flagella non sentiam? quidni & mihi, & quidem vehementer doleat, quod à verbis, itum sit ad verbera, ad rapinas, ad sacrorũ spolia, ad occupationes Templorum, & Bonorum, ad tormenta, ad mutilationes, ad cædes, ad proijcienda in latrinas Martyrum cadauera? Hungarus, Catholicus, Sacerdos, Episcopus, ejusdem & gentis, & conditionis hominum innocentiam, traduci, & quantum quidem affectus fert Adversariorum, calumniarum artificijs, quod veneficis ac Magis familiare est, ita repræsentari, vt in vulgo nõ innocentia, sed malorum monstrum appareat, sine sensu omnis acerbitatis feram? non ingemiscam? non suspirem? non occurram, cum liceat & possim, serpentis rumoris veneno, veridicæ orationis quodam quasi Mithridatico? Quod venenum, plus nocet, & illis, qui illud spargunt, & facilè credulæ plebis conscientiæ, quàm quorum illo famam conantur inficere. Sicut enim falsa opinio eorum intellectui insidet, qui illam, non de quibus illam homines concipiunt, ita falsus rumor, ad imitationem scaturientis vndæ, quæ originem non deserit, quamvis longo alueo, in alias quoq; terras decurrat, & Authoribus adhæret, & illis, qui tanquam liquidum, & per multorum animos transiens venenum hauriunt. Plus itaq; extabit meritorum meorum in illos, ex hac scriptione, qui à rumoris Authoribus decepti, rumorem hunc, primum quidem auribus, postea verò etiam animis, dulcium epularum, & salutaris alimenti ad instar, suaviq; persuasionum

melle illitum falsitatis toxicum, in animarum rosionem ac morsum recipiunt, quàm in alios, in quorum nomina ac conditiones, velut sordes in lucem Solis, quæ maculari non potest, convicia egeruntur. Quemadmodum enim honor est in honorante, ita in infamante infamia, innocentibus, quibus affingitur, nihil vnquam nocitura, † imó verò & exercitium patientiæ, & causam apud DEVM meritorum conciliat, cum maledicuntur homines propter illum, atq; ideo † gaudendum est illis & exultandum. Ne tamen falsorum persuasio, quorum animos decepit, eos magis ac magis abalienet ab innocentibus, & sicut temporis, ita rumoris vlteriori progressu decipiat, veritatique capiendæ, & multis etiam aliorum bonorum generibus amplectendis reddat adversarios, frigidus iste humor, qui multorum pectora occupavit, calore veritatis est consumendus, vt sic sana mente & integrâ, delusos se sentiant, qui magno aviditatis, & attentionis quasi precio coemptam pestem imbiberunt, noxij rumoris; cui adaugendo, amplificando, & reddendo scilicet certiori, infamis Liber est editus, inscriptione nominis QVERELA HVNGARIÆ; In quo, etsi in alios quoq; Catholicos, & viros bonos, & magnos, nihil calami petulantiæ temperatum sit, CLERI tamen nomine sæpe & sæpius repetito, quicquid vspiam, & vnquam mali accidit in Hungaria, à turbis, à tumultibus, & Civilis, intestiniq; Belli dissidijs, id totum CLERO attributum, & per summam, tam nominis, quàm conditionis nostræ injuriam, & ignominiam, adscriptum reperitur. His ego motus causis, non quia mihi plus arrogem, quam tribuam alijs, sed in re tam gravi, ne

† Iac. Epist. ꝟ 2.3 & 4.

† Matth ca. 5. v. 11.

Querela fol. 1.

omnes taceamus, effuso de Catholicis, & præsertim Ecclesiasticis, falsi rumoris veneno, & venenoso QVERELÆ HVNGARIÆ nominis Libro, hoc veritatis patrocinium & responsum volui opponere. In quo ego abstineo à convicijs, quæ vnde promanarunt, eodem suo cursu refluant, vt quæ † malus homo, de malo thesauro, mala protulit, Authorem cumulent hac opulentia. Sed priusquam quod cepi sum facturus, probatum reddam æquis iniquisque Lectoribus, Authorem, QVERELÆ HVNGARIÆ, quem si ex cauda Vulpem, Lupum ex vestigijs, conjectare liceat, PRÆDICANTEM censeam, & fortassis Cassoviensem illum Lutherocalvinistam, qui alias quoq; in PEtram Ecclesiæ Catholicæ quibus potuit viribus incurrit, sed reTRVSus, & à me, & magis ab ALijs, VINCI quidem didicit, nondum tamen tacere, suo semetipsum gladio, statim ac illum vagina exemit, jugulasse, hoc est, in ipso promulgatæ scriptionis illius initio, illam quam profitetur religionem, ab eodem esse damnatam.

† Matth. ca 12. v. 35.

Quod sic probo: Quicunq; illum sanctum vocat ac Martyrem, qui Romanum Pontificem seu Papam, Supremum Christiani orbis caput & Pastorem, nec alios Christianos esse, quam qui ejusdem Pontificis spirituali subsunt principatui, & credidit, & docuit, damnat doctrinam Lutheranam & Calvinisticam, quæ ejusdem Pontificis in Ecclesia primatum oppugnat, eidemq; contradicit, resistit, & Christianos ab illius jam dicta jurisdictione seducit.

Querela fol. 1. statim in initio.

Sed QVERELÆ HVNGARIÆ Author, Irenæum, qui Romanum Pontificem, seu Papam, supremum

mum Christiani orbis caput, & Pastorem, nec alios Christianos esse, quàm qui ejusdem Pontificis spirituali subsunt principatui, & credidit, & docuit, sanctum vocat & Martyrem.

Ergo QVERELÆ HVNGARIÆ Author, damnat doctrinam Lutheranam & Calvinisticam, quæ ejusdem Pontificis in Ecclesia primatum oppugnat, eidemq; contradicit, resistit, & Christianos ab illius jam dicta jurisdictione seducit.

Major propositio ex eo liquet, quod, nemo sanus, sanctum illum dixerit, qui falsam sit professus religionem, nemo Martyrem, qui non pro vera occubuerit; † Hebr. cap. 11. v. 6. Apostoli enim dictum habemus, † *sine fide impossibile est placere* DEO, quæ si falsa sit, sicut donum DEI esse non potest, sed ejus inventum qui ab initio mendax est, & Pater mendacij, ita DEO non potest non displicere, qui in factura sua, non in figmentis Diaboli delectatur; Et sicut Templum DEI sumus ex Apostolo, ita & Domus illius, ac habitaculum, quod Augustino teste, non aliter fundatur, quam credendo, hinc idem Apostolus *fidem rerum sperandarum substantiam* appellavit; Vera itaq; fide Irenæus in sanctitate radicatus atq; fundatus est, & pro vera fide Martyr itidem effectus, vt qui illius fidem veram dixerit, doctrinam eidem fidei adversantem, falsitatis damnet sit necesse, imò verò, veram illam asserendo, lata, sed inclusa in illa sententia, istam damnat falsitatis.

Ad Ephes. cap. 2. v. 8. Ioann: cap. 8. v. 44. Psalm: 91. v. 5. Ephes: 2. v. 10. 1. Corinth: cap 3. v. 16. 2. Corinth: cap 6. v. 16. Hebr: cap. 11. v. 1. Ephes: cap. 3. v. 17.

Minorem his verbis de semetipso testatur Irenęus; *Sed quoniã valde longũ est in hoc tali volumine, omniũ Ecclesiarũ enumerare successiones*, MAXIMÆ ET ANTIQVISSIMÆ, & — Iren: lib. 3. advers hæres. cap. 3.

mum

& omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem, vsq; ad nos, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam, præterquàm oportet colligunt. AD HANC ENIM ECCLESIAM PROPTER POTENTIOREM PRINCIPALITATEM *necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est Eos qui sunt vndiq; fideles, in qua semper ab his qui sunt vndiq; conservata est ea quæ est ab Apostolis traditio. Fundantes igitur & instruentes Beati Apostoli Ecclesiam,* Lino *Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt. Hujus Lini† Paulus, in his quæ sunt ad Timotheum Epistolis meminit. Succedit autē ei* ANACLETUS, *post eum tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur* CLEMENS, *qui & vidit Apostolos & contulit cum eis.*

† 2. Timoth: cap 4. v. 21.

Iren: lib. 3. cap. 3.

Idem Irenæus paulo inferius: *Clementi succedit* EVARISTUS, *& Evaristo* ALEXANDER, *ac deinceps sextus ab Apostolis cōstitutus est* SIXTUS *& ab hoc* TELESPHORUS, *qui etiam gloriosissimè Martyrium fecit, ac deinceps* HYGINUS, *post* PIUS, *post quē* ANICETUS. *Cum autem successisset* ANICETO, SOTER *nunc duodecimo loco Episcopatum ab Apostolis habet* ELEUTHERIUS. *Hac ordinatione & successione, ea quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio, & veritatis præconatio, pervenit vsq; ad nos.*

Nota hinc ex Irenæo PRÆDICANS; Ecclesiam Romanam esse maximā, & antiquissimam. Nota, in illa esse potentiorem principalitatem, sive primatum. Nota necesse esse eò convenire omnem Ecclesiam; & eos qui sunt vndiq; fideles. Nota successionem à Petro Ponti-

ficum Romanorum, apud quos est potentior ille Principatus, sive primatus. Nota hac successione confundi omnes hæreses.

Si hæc sanctus Martyr Irenæus sanctè sensit, quomodo tu his contraria, non profanè?

En Conclusio sic probatis præmissis, quàm sit omnibus manifesta. Cur itaq; ex te sumpto argumento, tam subitò ita victus, vt evadere nequeas, moram tamen interponis statim amplectendæ veritati?

Aliter iterum attentum te faciam ad illud de CLERO, quem toties accusas, toties repetis, toties proscindis, in quo etiam calamus mentem omnino tuam videtur prævertisse; Quæro enim ex te, an CLERI nomine, aliquos ex illo, vel vniversum CLERVM intelligas? si aliquos, cur sine personarum designatione absolutè in CLERVM inveheris? si vniversum; sic argumentor.

Quicunq; Ecclesiasticus vniversum CLERVM accusat & damnat, semetipsum quoq; accusat & damnat. Sed QVERELÆ Author (præsupposito illum esse PRÆDICANTEM) est Ecclesiasticus, talis enim haberi vult, & talis est suo quidem judicio. Ergo QVERELÆ Author semetipsum quoq; accusat & damnat.

Majorem propositionem sic probo; Ecclesiasticus & CLERVS æquipollent sensu, vt habetur in Canonibus Apostolorum, quos etiam Iuellus famosus Calvinista, qui se Episcopum Sarisburiensem Angliæ cognominat, † *veteres Apostolorum Canones* agnoscit, & scribit tales esse; *Canon enim 15. CLERICOS expressis

† *Iuellus pro Apol. Eccl. Ang part 5 c. 3. divis 7 Editiōe Iacobi Stoer. An. 1600. fol 393.*

* *Canon Apostolor. 15. & 27.*

pressis nominibus à Laicis distinguit, Et Canon 27 CLE R I nomen ponit. Nicenum quoq; primum Concilium cujus Symbolo etiam † Augustana Confessio vtitur, & Calvinus idem Concilium recipit, C L E R I nomine † Ecclesiasticum ordinem comprehendit, S. Hieronymus, statum Ecclesiasticum, officium CLERICATVS appellat. Isidorus Hispalensis quem citat Concilium Aquisgranense primum, sic habet: *Omnes qui Ecclesiasticis gradibus sunt ordinati, generaliter C L E R I nominantur; C L E R O S autem vel C L E R I C O S hinc appellatos Doctores nostri dicunt, quia M A T T H I A S sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum. sic & omnes quos illis temporibus Ecclesiarum Principes ordinabant, sorte eligebant. Nam C L E R O S sors interpretatur, unde & hæreditas Græcè Cleronomia appellatur, & hæros cleronomoi. Proinde ergo C L E R I C O S vocari ajunt, quod in sortem hæreditatis Domini, vel pro eo quod ipse Dominus sors eorum sit, sicut de eis scriptum est loquente Domino; † Ego hæreditas eorum.*

† *August. Confess. statim i princ.*
† *Cōcil. Nicen: prim: Can 15.*
S. Hieron. in Epist. ad Nepoti:
Isidor. li. 2. de offi Eccl.
Concil. Aquisgr. cap. 29. vt hæc omnia refert C resp summa Cathol. fid. in verbo Clericus.
† *Ezechiel. c. 44. v. 28.*

Minor propositio evidens est, ex altero bipartitæ interrogationis & responsionis membro jam supposito.

Hic quoq; Conclusio ex præmissis est clarissima: Si dicas te C L E R I nomine, ab ipso statim scriptionis, & Q V E R E L Æ initio, eos Ecclesiasticos intellexisse, qui Iurisdictioni Romani Pontificis parent, atq; id variè apparere ex eodem Libello. Ego ne huic multum immorer, liberaliter largior, non scribendi peritiæ, sed tibi, & Personis reliquorum P R Æ D I C A N T I V M, sicut vos non estis C L E R I C I, sed Laici, ita ne in mentem quidem tibi vnquam venisse,

PRÆ-

PRÆDICANTES C L E R I nomine compræhendendos, & sic in majori argumenti mei propositione Ecclesiastici nomen vnivocè vsurpatum, in minore verò, æquivocè, vt sensus majoris propositionis sit; Quicunq; propriè dictus Ecclesiasticus vniversum C L E R V M accusat & damnat, semetipsum quoq; accusare & damnare; Minoris verò; Authorem Q V Æ R E L Æ ita esse Ecclesiasticum, ita ipsum talem se haberi & velle, & proprio judicio esse, sicut & pictura homo appellatur.

Ad rem tuam & cæterorum PRÆDICANTIVM solutum est hoc argumentum, & malo ex hac solutione, quam, etiam non distinctis præmissis, ex argumenti mei conclusione, victoriam.

Et, quo adhuc de C L E R I nomine atq; officio pauxillum adijciam, si, quæ de illius origine, & cur Ecclesiasticis impositum illud voluerint Apostoli, eoq; vsi veteres sancti Patres, paulò ante commemoravi, animo semper præsens habeas, dubium non est, facilè te animadversurum, quam parum attentus ad nomen ac sensum nominis C L E R I, Idololatras Achabi Sacerdotes, qui non in Domini, sed in Diaboli sortem vocati fuerant, C L E R V M appellaveris. *Querela fol. 1.*

Sed ne vel hic avarè hujus nominis tenax videar, do illos ita C L E R V M dici potuisse, atq; etiam posse, sicut PRÆDICANTES Adversarios dedi esse Ecclesiasticos, vt pari possessionis jure, illi C L E R I, hi verò Ecclesiastici nomen obtineant. Sed audi sodes, numquid & illi non C L E R V S, quos Achab & Iezabel Prophetis ipsorum, quos tu C L E R V M nomi-

nominas, concitantibus, persequebantur, quos Abdias, Prophetas scilicet & C L E R V M Domini, dum
3. Reg. c. 18. v. 4. Iezabel in illos fureret, in speluncis centum viros, quinquagenos & quinquagenos absconditos, pane & aqua paverat, & de quibus Elias, qui & ipse in desertum fugerat, & latitaverat in abditis speluncarum, sic loquitur:
3. Reg. c. 19 v. 10. *Zelo Zelatus sum pro Domino D E O exercituum, qui dereliquerunt pactum Domini filij Israël, Altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam ut auferant eam?* Non est occasio, non causa, non ratio, non argumentum ullum, non Scripturæ sacræ vel una literula, quæ te admonuerit, cur magis Prophetas Baal, quam Prophetas Domini,
† Psal. 109. v. 4. Hebr. ca. 5. v. 10. & ca 6. v. 20. C L E R V M volueris appellare. An & Christus non † Sacerdos, non Pontifex, quem tamen Sacerdotes & Pontifices, arte, dolo, fraude, precibus, precio, conducta etiam pecuniaria opera, ad mortem usq; crucis,
* Ioan c. 7 v. 18. & 19. imò ad sepulturam usq; & postea sunt persecuti? * Sacerdotes certe & Pontifices verius fuerunt illi, quam PRÆDICANDES sunt Ecclesiastici, sed sicut illi tunc desinebant esse Sacerdotes & Pontifices, ita PRÆDICANTES nunquam inceperunt esse neq; sunt verè Ecclesiastici. Scio PRÆDICANTES in odium Sacerdotum atq; Pontificum novi Testamenti, rudi & facilè quævis ab auribus ad animos transmittenti seducendæ plebeculæ, basilicè declamitare solitos, Christum quoq; & Apostolos, à Sacerdotibus & Pontificibus, inimicè ac crudeliter tractatos. Ita est: At cur non itidem adjungunt, & Christum & Apostolos quoq; Sacerdotes & Pontifices fuisse, ne Sacerdotis & Pontificis nomina,

qui-

quibus Christus etiam semetipsum appellari voluit; & ipsi PRÆDICANTES odio ac opprobrio habere, & alijs exponere viderentur? Verum sic scilicet sunt oculati, sic in hoc cauti, sicut & in cæteris. Sed revertor eò, vnde CLERI nomini magis ac magis explicando, non nihil digressus fueram, do id quoq;, quod PRÆDICANS scribit, (quo ego jam cognomento, toto hoc meo Libello, eum, qui QVERELAM HVNGARIÆ confinxit, & conscripsit appellabo) Sathanam totis viribus adniti, perturbandæ paci, & evertendæ tranquillitati Hungaricæ; do multa Hungaros, imò plurima & maxima perpeti, non tantum nunc, sed & in posterum vbertim & effusè deplorana, nescio autem an vnquam resarcienda, do ad instar Prophetarum Achab & Iezabel, † quibus spiritus mendax inerat, nunc quoq; maligni Dæmonis veluti quædam plaustra non deesse, quibus Bella in Christianam Rempublicam invehantur, præsto illi esse instrumenta, quibus discordias, rixas, turbas, & tumultus suggerat, suadeat, & persuadeat, atq; illum Tragœdias in hac Hungariæ scena, non vt Comici fictis olim doloribus ac ejulatibus lachrymarum provocatrices exercere, sed in hominibus cruentas, quæ vivos non fingant mortuos, sed interficiant, campos ac vias Humanis cadaveribus sternant, fœtorem ac pestem in nasum, horrorem in animum conciant, Aërem corrumpant, eos qui illum hauriunt inficiant, oppida, villas, hominum habitacula, incendijs, & vastitate, ferarum impunitati destinent, è Templis Deo sacratam supellectilem, si quid vspiam auri argentiq;, aut rei alterius preciosæ reperiatur, ex-

† 3. Reg. 22 v. 22.

pilent, Sanctorum relliquias pia cura reverenter absconditas, & custoditas, intempestivarum cogitationum ac procacis temeritatis perscrutatoribus patefaciant, alios nobilissimorum Concivium compedibus compingant, alios carceribus addicant, alios & genere & dignitate magnos, & vita probatos, & nemini noxios, ab ipsa naturalis quietis ac somni tranquillitate abreptos, tractos, trusos, seminudos, pacta pecuniæ summa, vel miseram vitam redimere compellant, alios quos sub manuum & armorum vim habere non possint, pro fortunis, quibus vel absentes omnibus dispoliant, proscriptionis & exilij infortunio conficiant, innocentes egestis ad ravim usq; scommatibus ac convicijs proscindant, & veneno magis quam atramento diffluente calamo, præloq;, traducendo, bonam famam, in turpem infamiam commutent, sanctè constitutas, & optimo ac longissimo usu confirmatas leges abrogent, nec à Regibus, si voluntati facultas suppetat, manus & arma abstineant, & sexcenta alia, vel sexcentas & millenas malorum, ad quorum vel solam cogitationem bonus animus exhorret Myriades Orbi inferant, pulchrum atq; elegantem rerum omnium ordinem pervertant, & pro illo, informe chaos obvertant; Hoc vero non do, sed nego, CLERUM & alios Catholicos esse Authores istarum Tragœdiarum, nego quod tu nullo firmamento affirmas, * omnia mala à CLERO in Patriam nostram exundasse. Et si hoc; quod summo, quo quidem tu potuisti nixu probare conatus es, nullo te argumento probavisse convicero, clarè autem demonstravero, PRÆDICANTES esse, qui turbas & bella conciverint, talionis pœ-

* Querela fol. 1

nam

nam subito Author cum socijs tuis & COMPRÆDICANTIBVS.

Ab alto primum repetita principio, Varnensis cladis tempora PRÆDICANS noster commemorat, * quibus Lutheri adhuc & Calvini dogmatum venena, neq; boni timuerant, neque mali speraverant, nondum enim ille Islebij in Saxonia, hic Novioduni in Gallia, sed longè ac multis annis postea prognati, & solum quia non fuerant, ideo non poterant esse turbarum ac Bellorum incentores, vbi primum enim ambo, malis vt satis scitum est, modis, ac machinationibus, se se ab Ecclesia Catholica segregarunt, compares Sinones, non Evangelij, quo nequicquam gloriati sunt, sed Bellorum facem ac signa prætulerunt. De Luthero quidem ex ipso Luthero certum est, † qui omnem Principum inter populos tollendam præeminentiam, * extinguendas omnium Principum leges, Principibus non obsequendum, † contra Turcas neque militandum, neq; quidpiam contribuendum docuit; Quod quid aliud est quam populos in Principum perniciem concitare, refractis legum repagulis, quibus alma pax intra terminos Civium concordiæ, in omnibus Rebuspublicis continetur & conservatur, homines in tumultuum sus deq; omnia vertentium præcipitia protrudere, arma Christiana prohibere, vt Turcica Othomannico Imperio dilatando prævaleant? Quid Luthero maximarum seditionum promo, perpessa sit Germania, quib⁹ malorum reliquijs velut subcinericeis scintillis in favillas & flamas identidem erumpentibus etiamnum patiatur; & illius ætatis Historiæ, & nostra memoria, & admodum etiam recens expe-

* Querela fol 2.

† Luth. Libro de secul pot.

* Luth. Libro de Capt Bab.

† Luth. cōt. duo mand. Imp. Anno 1524.

experientia contestantur. De Calvino & Calvinistis vel vnicũ illum Librũ videre satis est, qui Anno Dñi 1593. Londini in Anglia editus est, in quo bonam partem Evangelij Genevensis, hoc est Calvinistici, Cancrum & Talmud Sabaudicum nominarunt, ipsimet illi Angli, quos communi vocabulo Calvinistas dicimus, ipsi verò negant se esse Puritanos, quo nomine Calvinum & Genevenses Magistros, eorumque sequaces Calvinistas appellant. † Quo in Libro, non jam Catholici, qui vobis Papistæ, & sibimetipsis tales, cum Papam supremum in terris secundum Christum, caput, Pastorem, Pontificemque habeant, sed illi ipsi Angli, quos coevangelicos vestros nominatis, Calvinum & Bezam homines seditiosissimos fuisse comprobant. Quid dicam de Serenissimo Iacobo, neque ipso nostræ, sed adversariæ religionis Angliæ nunc Rege atq; Principe, qui publicata typis scriptione sic loquitur de Puritanis Calvinistis. * *Præclara sanè laus, præclarum encomium quo Puritanos ornavi, cum me plus fidei, vel in illis efferis, cum montanis, tum limitaneis latronibus, quam in hoc genere hominum invenisse professus sim.* Item ibidem & idem Rex; *Ego à Puritanis non solum à nativitate continuò vexatus fui, verum etiam in ipso matris vtero propemodum extinctus, antequam in lucem editus essem.* Et quo clarius intelligas, quos tã acriter perstringat tantus Princeps, audi ex illo plura: † *Ego* (inquit) *in meo ad filium Libro, multo acrius ac vehementius in Puritanos quam Pontificios invectus sum.* Quid ita? an quia Puritanos Calvinistas PRÆDICANTES pacis amatores expertus fuerit, ideò Rex de illis, publicatis querelis lamentatur? Nemo id opinabitur. En pacis gemmæ, folia,

† *Vide Gulielm. Regin. Angliæ in Calvino Turc. lib. 3. cap. 23.*

* *Sereniss. Iacob. Ang. Rex in monitor. Præfat. ad Imper. Reges & Princ.*

† *Idem Rex ibid:*

folia, ac fructus, quæ ex Calvinistici Evangelij semente, jam in Arborem & ramos porrecta, pullulant, luxuriantur, maturescunt.

Sed clariora sunt hæc, atq; certiora, quàm vt à PRÆDICANTIBVS, vel obscurari possint, vel in dubium revocari, vel quibus luculentius probandis, & tempus, & calamum conterere me oporteat. Ad recentiora & Domi nostræ nata, neq; pauca, imò plura, quàm necessarium sit, & ita experientiæ subjecta, vt negari non possint, exempla postea progrediar, vbi ad ea quæ de * Iuliano Cardinale PRÆDICANS objicit, & quæ de CLERO, ac alijs viris optimis & maximis confingit, sine vllo odij, vel criminationis in Adversarios, vel adulationis in nostros affectu, & quantum in me fuerit, etiam vestigio, respondero. *Querela fol. 2.*

Ab ignoratione Historiarum, & si veritati edicendæ atq; explicandæ, meam deservire orationem, venia & pace Authoris PRÆDICANTIS impetratum habeam, Libellū quem scripsit, vel exempla potius, quæ carpendo CLERO consignavit, à mendacio est auspicatus. Exemplorum enim de commissis à CLERO seditionibus, provocatisq; Bellis in Hungaria, principium, † Iulianum Cardinalem facit, qui Ludovico Hungarorum Regi, rescindendo pacto cum Turca fœderi Author fuerit, & quidem hoc quater repetito Ludovici nomine, bis Latinè, bis itidem Hungaricè scripsit, cùm tamen nullus tunc Rex Hungaris Ludovicus nomine imperaverit, sed Vladislaus, apud quem eo tempore Iulianus Legatum egerat Sedis Apostolicæ. Sed ita frequenter erratur à PRÆDICANTIBVS, vt aliud pro alio vsurpent, neque *Querela fol. 2.*

 aliter

aliter sunt fidei Catholicæ Adversarij, quàm cum pro vero falsum asseverant. Et dictum hoc PRÆDICANTIS de Ludovico, Philosophorum Theologorumque vocabulo; concedamus mendacium esse tantummodo materiale, quod etsi tali culpæ non vertatur, quæ iram DEI in hominibus operetur, dicentis tamen & scribentis fidem, ac authoritatem, similium generum errores & mendacia, ita imminuunt, vt quilibet Lectorum animadvertat, tutò illi non esse credendum. Illud verò formale est mendacium, & lethali peccato PRÆDICANTI adscribendum, quo is absolutè scribit, Iulianum Regi perjurium persuasisse. * Adhibe lectioni Bonfinium PRÆDICANS, manifestè reperies, prius Vladislao ictum fœdus adversus Turcas cum Principibus Christianis, quàm cum Turcis intercessisse, quod per illum rescindi, ex sacrosancta Christianæ vnionis firmitate nefas fuerat, quo tamen & quidem inscijs Confœderationis socijs, rescisso, aliud cum Turca nec licitum pepigerat. Verum, recollectis animis, lectis etiam in Senatu, Constantinopolitani Imperatoris, vnius scilicet eorum Christianorū Principum, cū quibus Vladislao & Hungaris, fœderata societas contracta fuerat, literis, quibus & sanctè initi fœderis debitam observationem, & quàm periculosum sit Hungaris, Turcico sese favori committere, in memoriam, ac maturam consideratione revocabat; nondum Iulianus ea de re in Senatu verbum fecerat, cum (vt Bonfinij verba ipsa, nihil omnino à me, vel augumento vel diminutione immutata referam) † *tanta Regem cunctosq; Proceres facti pœnitentia mox incessit, vt nullius vnquam rei vehementius puderet,* pige-

*Vide Bonfin: Rerum Hunga: Decade 3. lib. 6.

† Bonfin. citatus Decad: 3 lib. 6.

pigeretq́. Omnia immortalitatis fundamenta, inita cum Turca pace, invitis inscijsq́ socijs, jam irrita fore conspicantur, expectationem quam de sese in Christiana Republica suscitarant fefellere. Vindices dudum sanctæ fidei, propugnatores religionis, ultores Christi, & gentium fidelium liberatores olim appellatos esse secum reputabant; contra nunc violatores socialis fidei, & Latini Græciq́ fœderis immemores, contemptores immortalitatis, & propriorum tantum commodorum amatores. Animos hac pœnitentia fluctuantes Iulianus tempestivius adoritur. &c. Hæc Bonfinius.

Nisi longum nimis esset, totam Iuliani transcriberem orationem, quæ cum in Bonfinio totidem quot ille verbis habuit, fideliter posita reperiatur, eò remitto & PRÆDICANTEM & Lectores. Illud in vniversum persuadere conatus est Hungaris Cardinalis, in quod jam altiore rerum & prioris Christianiq; fœderis cogitatione, & factæ cum Turca pacis pœnitudine, Græci item Imperatoris literis fuerant inclinati, vt prius cum Christianis Principibus, quám cū Turcis, fide pactam societatē observarent, alteram alteri, priorem scilicet & contrariam posteriori præponerent. Apponam pauca hæc verba Cardinalis: *Nonne cum Italis & Græcis, vt illi à Thracia cum auxiliaribus copijs occurrerent, & hi Classem ingentem in Hellespontum mitterent, sacrosanctum vltró fœdus me præsente & authore percussistis? percussimus. Si percussistis, cur cum Turcis isto violato aliud transegistis? Quo jure quamvis transactum sit servare poteritis?* Item non valdè longè post, idem Iulianus; *Æquum igitur & justum jusiurandum, omnium judicio est sanctè servandum, quod autem non modo ad privatum, sed ad publicum facit exitium, illud irritum ac vanum esse debet.*

Verba Iuliani Cardinalis ad Regē Vlad: & Proceres Hung: apud Bonfin: loco citato.

 Ite-

Iterum Cardinalis: *Vos quæso & non sine lachrymis obtestor Proceres, teq; inprimis Rex Inclyte, ne datam pro salute Christianæ Reipublicæ, Sacrosancto Patri, cæterisq; fidem vllo vnquam pacto violandam censeatis; Initam cum Latinis Græcisq; societatem fidè sanctèq; servate.* Heus PRÆDICANS, an tibi perjurij videntur hæ persuasiones? non opinor, si quid sapias. Et quæro, an si tu juratam Vxorem cum habeas, aliam tibi jurejurando Mulierem copulaueris, si rescisso priore juramento Connubiali, secundo te, quod tibi obire non licuit, ita obligatum existimes, vt illa repudiata, huic quam superinduxisti adhæreas, an non duplici te, hoc est, & juramenti, & matrimonij violati culpæ adstringes? an si secundo valere jusso, prioris jurisjurandi observationi insistas, non melius, religiosiusque feceris? Nullus dubitas, nisi nihil omnino intelligas.

Non eadem quidem sunt hæc, cum illo Hungarorum, & Iuliani Cardinalis exemplo, de quo jam hic agimus, illi tamen non omnino sunt dissimilia; neq; enim inter ea, quæ eadem omnino sunt, si ad rationis ac Philosophiæ rigorem loquamur, nisi imaginaria quædam, ac ab humano intellectu conficta & concepta similitudo intercedit. Contra Turcas sanctè ictum cum socijs fœdus, inscijs socijs rescindi, & cum Turcis aliud iniri non potuit. At initum est; sed quis approbet, quod ne Vngari quidem postea approbaverint, sed potius errati pœnitentiam ac dolorem conceperint, & quidem, antequam orationis Cardinalitiæ essent Auscultatores? Dic PRÆDICANS, vtrum observandum fuit, primum fœdus, an secundum? Si primum, quid incusas Cardinalem? Si secundum, cur hoc, primo, potius existimas?

Et

Et si ita existimas, malè quidem certè, qui in hoc quodammodo Turcas Christianis præferas; cur tamen ex tuo judicio solum Cardinalem damnas, non etiam Constantinopolitanum Imperatorem, cum & ille, ne à Christiani fœderis, & tempore priore, & omni jure potiore vinculo se exoluerent, sed ab illo potius, quod tempore posterius, contra primum, nullo jure contraxerant, author fuit, per literas & Tabellarium, Regi Vladislao & Regni Proceribus? cur non ipsos quoque Hungaros, secundi, sive posterioris fœderis pœnitentes? Si primum jure injuerunt, (aliter factum non probabis) certè secundum primo contrarium injuria; non itaque, hoc, sed illud fuit observandum. Iureconsultorum enim est illud & verum; * *Pacta quæ contra Leges constitutionesq; vel contra bonos mores fiunt nullam vim habere indubitati juris est.* Isidori hæc, quibus quod obijcias non habes; † *In malè promissis rescinde fidem.* Item: *Impia est promissio quæ scelere adimpletur.* Neque tu nisi fallor tutò illi, nisi & omni vero adversabere. *Iuramentum non est vinculum iniquitatis.*

* Leg: Pacta, Cod. de pactis.

† Cap: In malis, 22. quæst. 4.

Sed obijcis, * infœlicem Belli contra Turcas eventum; rescissi, quod cum Amurathe Hungari contraxerant, fœderis pœnam extitisse. Respondeo, quod tu in hoc nobis obijcis, nulla tibi ratione constare. Si constat, dic vnde, & quomodo? Nam vt à minoribus procedam ad majora, à Politicis ad sacra; Num tibi non obvenit illud aliquando; Ab eventibus consilia non esse ponderanda? Si hoc tibi animo obversatur, cur non & aliud; Non ex vno scilicet capite, Bellorum exitus (quos incertos dixit ille) contingere voto ac expectationi adversarios? Aut dicas, sed dicto fidem nemo dederit, quoties

* Querela fol 2.

Turca Bello Christianos vicerit, toties hos consilio ac justa Belli causa destitutos. Sacrum est istud: † *Per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt.* Bella autem multis esse moriendi instrumenta, nemo negaverit, vt satis constet, adversos Bellorum eventus, pœnas esse delictorum, sed sicut delicta multa sunt ac varia, neque omnia æqualia, nam * ad mensuram delictorum comparantur etiam in Inferno tormenta alia alijs graviora, ergo & culparum alia major quàm alia, Ita jam, cui potissimum iniquitati tribuas Bellorum pœnas, ne in judicando aberres à verò, nisi animo tuo DEVS, sicut olim multa Prophetis revelavit, singulare cognitionis lumen infundat, hariolare si potes.

† Roman: cap. 5. v. 12.

* Deuteron: cap. 25. v. 2. Sapiēt cap. 6. v. 7. Apocal: ca. 18. v. 7.

† Certe Iudas Machabæus, Ionathas, & Simon fratres, (ne plura recenseam) & populus Israel cum illis, qui adversus hostes Domini depugnabant, justa Belli causa, consilijque ratione inopes non fuerant, obierunt tamen fratres illi, & cum illis multi devicti ab hostibus. Scrutare hic culpas si DEVS es, & causas victoriæ inimicis DEI, ab ipso DEO attributæ, cladis verò acceptæ ab Amicis DEI, & fidelibus; Si DEVS non es, ne in æternam illius messem falcem tuam immiseris, ne eadem falce in te reversa ac resiliente, vno ictu perimare, * ne scruteris Majestatem DEI, ne à gloria illius opprimare, humilem te Agnum esse decet, non superbum Elephantem, ne † abyssis judiciorum DEI submergare.

† 1. Macha: cap. 9 v. 18 cap. 12. v. 48. cap. 16. v. 16.

* Proverb: cap. 25. v. 27.

† Psalm: 35. v. 7.

Applica objectis tuis, quæ jam dicta sunt, & si hac in re, ignorationis nodo alligatus es, facile te absolves; si dubitationis, nihil certi in re incerta, antequam certi ali-

quid

quid ſcias, conſtitues, nihil dices, nihil ſcribes; ſi malitiæ, quæ bono ſupervenienti ſe opponit, pluribus te atque arctius intricabis, plura malè dices, fortaſſis & ſcribes.

Neſcis itaque, neque video qui ſcire id poſſis, niſi DEUS tibi revelaverit, divino ac humano jure malè icti cum Turca, & donec tu ſecus probaveris, vtroque jure benè reſciſſi ſecundi contra primum fœderis, pœnam, Varnenſem cladem extitiſſe. Quid ſi pœna fuit violati primi? Quid ſi ejus quod Chriſtianæ Societati Turcicam prætulerint? Qui quidem facto pœnitentia ſucceſſerat, ſed, quid ſi ſicut * Davidem, translato illius peccato, pœna tamen tetigerat, ita Hungaros Belli clades ſit ſubſecuta?

* 2. Regum cap. 12. v. 13. & 14.

Nec ſapienter exclamas PRÆDICANS, hiſce verbis: † *I nūc Iuliane, & dic Regi tuo apud Inferos, Hæreticis fidem non eſſe ſervandam.* Nam inprimis, vnde tibi conſtat, apud Inferos adhuc illos eſſe, & non jampridem apud ſuperos, niſi fortaſſis inde, quod neque Lutherani, neque Calviniſtæ fuerint? Adverte illud: * *Si non veniſſem & loquutus fuiſſem eis, peccatum non haberent*; Si hoc DEUS; parce & tu illis, ad quos nemo adhuc ex Lutheranis & Calviniſtis venerat, nullus vnquam de veſtro Evangelio, vel verbum loquutus fuerat, nihil de illo audiverant, prope octoaginta enim Annis, poſt eorum obitum, Lutherus novi Evangelij incudem verſare occeperat, ſerius Calvinus, alterius ac recentioris Evangelij fabricator. Ita eſtis nuperi, ita novitij. Ne itaque quod vitium non fuit, vitio illis quæſo vertas, veſtrum ab illis Evangelium non acceptatum, neque illos Lutheranos vel Calviniſtas fuiſſe. Qui enim audire, auditumque acceptare potuiſſent, cu-

† Querela Hung. fol. 2

* Ioann. ca. 15. v. 22.

jus

jus nè nomen quidem adhuc in orbe extiterat? qui tales esse, ante Lutheri Calvinique nativitatem?

Aliud quoque est, in illa tua exclamatione, jure meritò reprehendendum, quasi verò id in vita Iulianus senserit, quod tu illi, post mortem illius, irridentis exhortationis, & exclamationis, vocibus, affingis, hoc est, *Hæreticis fidem nō esse servandam*. Hoc tu de Cardinali illo, sicut scriptum non est, ita nusquam legisti; affinxisti itaque. Cujus quidem si in persona, ac nomine, doctrinæ Catholicæ puritatem suggilles, ac si illa doceat, Hæreticis fidem non esse servandam, nihilo plus omnibus persuaseris, quicunq; Catholici dogmatis cognitionem habeant, quàm si album dicas nigrum esse. Extant enim, & quidem plura, Catholicorum Doctorum volumina, † quibus fusè ac dilucidè ostenditur, Hæreticis, quin & Gentibus, qui Baptismatis Sacramento Ecclesiæ Catholicæ nunquam sunt incorporatæ, * imò & Hostibus, fidem semel datam, sanctè & illibatè esse observandam.

† Vide Martin: Becan: Tomo 2. opusculorū duobus opusculis.

* S. Hieron super Ezech

Et rogo te PRÆDICANS, doce me, à Turcis ad Hæreticos qui desumpseris † argumentum? qui à fide Turcis data, ad eam quæ datur Hæreticis? Etsi enim utrique jam dixi firmiter standum esse, qui tamen tibi tantum placuit hęc connexio? Tu scis quid intus coquas, ego non scrutor, ne nimium irascare. Sed scio, gratiam me apud te non initurum, tali comparatione.

† Querela fol. 2.

Ad alia jam calumniarum tuarum capita, Hydrę quidem illa, sed tamen omnia penetrante veritate resecanda, singillatim concedam.

* Dicis, Vallones, quos tamen, sicut & alios externos Milites, defendendæ adversus Turcas Hungariæ conductos

* Querela fol. 3.

ductos profiteris, multa in Hungaria, præcipuè in Transylvania, indignè commisisse, atque id commissum, CLERO adscribis, sed neminem nominas, nullo probas argumento. Quis tibi affirmanti, quàm nobis negantibus, magis credat, nisi illud αὐτὸς ἔφα pro authoritate tibi vendices? Qui accusatorem te constituisti, probandi onere vacuum te esse non oportebat. Cedimus rationi, non recusamus veros testes, sistimus nos Iudicijs, si non promi sed condi vultis esse armorum. Dicta abs te de CLERO, sive aliqua, sive omnia, si facta ab illo probaveris, designa personas, videbis illarum & pœnas. Aliud de CLERO, Vallonum tempore, experti sunt Transylvani, cum enim Claudiopoli, Arianam plebem, cujus illic nidus est, ejusdem pestis mercenarij PRÆDICANTES, primum quidem pro Concione in furorem contra Catholicos, postea etiam ad arma concitassent, & ipsissimet illis PRÆDICANTIBUS, furentis populi Ductoribus & cohortatoribus, Scholas, Seminarium, ac Collegium Patrum Societatis IESV, funditus delevissent, Templum destruxissent, Patrem Petrum Majorium, à doctrina, & cæteris virtutibus, insignem, mitissimum certe hominem, & vitæ innocentis exemplum, Rectorem & Viceprovincialem, in capite vulnerassent, qui à quo vulnus acceperat, ne id cum percussoris periculo accideret, etiam multis quæstionibus sollicitatus, detegere nunquam voluit; Religioso Georgio Bartolich dextram confodissent, alterum Emanuelem Nigrum crudeliter necassent, omnibus Patribus miserè ac barbarè tractatis, eosdem, ex quibus aliqui ægroti, effuso copiosissimo imbre, in maxima itinerum incommoditate, Prodromis

Anno Domini 1603.

illis ipsis PRÆDICANTIBVS, Civitate, tantum non nudos ignominiose eduxissent, quicquid tam in Ecclesia, quã in Collegio, Seminario, & Scholis, suppellectilis invenire potuissent, diripuissent, justas postea Georgio Basta Supremo post Cæsarem Transylvanico Magistratui, præter alias, & quidem graves animadversiones, magna reorum Civium clade, quos viginti quinque morti destinaverat, pœnas Claudiopolitani dedissent, nisi Iesuitarum, quibus reductis, & pro ijs, quæ desolverant, aliud Templum, alias Scholas, alias ædes obtulerant, apud Magistratum, nimium sollicitâ intercessione, fuissent servati. Qui Cives, flexis in terram poplitibus, tanquam vitæ ipsorum conservatoribus, & Patribus Patriæ, (ita enim illos appellabant) interpositis perpetuæ gratitudinis pollicitationibus, Iesuitis, multo, & humili sermone gratias egerunt. Vbi, tam præclaro CLERI, etiam in acerrimos inimicos, pietatis exemplo, præter alios permotus Lucas Trausnerus, Francisci quondam Davidis, Claudiopolitanorum in Arianismo Ductatoris PRÆDICANTIS, gener, nemini Civium illorum eruditione secundus, imo longè doctior omnibus ejus loci etiam PRÆDICANTIBVS, externis quoque possessionibus, & alias dives, magnus ac clarus apud suos, repudiata, ac rejecta Ariani dogmatis vesania, fidei Catholicæ animum addixit, in qua, ad vltimum vsque vitæ suæ tempus, magna multorum ædificatione, perseveravit, & fœliciter etiam diem suum clausit.

Querela fol. 4. * Dicis, à CLERO conscientiarum sibi Dominatum vendicante, Templis vestris, sepulturis, campanis, Baptismati, Patribusfamilias, qui Domesticis suis

Evan-

Evangelium prælegerent, vestri Evangelij Ministris, quod in exilia agerentur, injurias promanasse. Hic quoq; nihil probas, criminaris. Hoc scilicet est Templa vestra à nobis occupari, cum quæ à nobis per summam vim & injuriã, quam legibus & CLERO quoties potestis, toties infertis, occupastis, nos bono jure, ac legibus, recuperamus, Conscientiarũ dominatũ solus DEVS habet, fatemur, nos curam, à DEO nobis demandatam; † *Attendendũ est enim & nobis, & universo gregi, in quo nos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam DEI, quam acquisivit sanguine suo;* * *Prædicamus verbum, instamus opportunè importunè, arguimus, obsecramus, increpamus, in omni patientia & doctrina, jam enim est tempus cum multi sanam doctrinam non sustinent, sed ad sua desideria coacervarunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum averterunt, ad fabulas autem sunt conversi:* Et quantum quidem in nobis est, errantes ad *veritatis* † *agnitionem, ad quem, DEVS vult omnes homines venire,* reducimus, & etiam negligentiores, quorum quidem jurisdictionem habemus, & non alios, sed ne hos quidem nisi paternè, Christo jubente * *compellimus intrare, vt impleatur Domus Domini,* veritatis complexu firmos ac constantes, ab erroris contagione præservamus, & cum hoc ad quod vocati sumus officium nostrum peragimus, hoc scilicet est vobis, dominatum à CLERO exerceri conscientiarum. Verba venditis quæ neque ipsi intelligitis, vel odij vestrorum in nos, vel rudis, & verborum ac rerum pondera nihil attendentis plebeculę, incautæ credulitatis precio tantum comparanda.

† *Act. cap. 20. v. 28.*

* *2 Timoth 4. v. 2 3. & 4.*

† *1 Timoth v. 4.*

* *Luc. c. 14, v. 23.*

Qui sint illi PRÆDICANTES vestri, exilio mulctati?

ctati? Qui Cives ob domesticam Evangelij prælectionem taxati? qui à Baptismate prohibiti CLERO authore?

In accusatione tam solenni, cui Principes fautores, & auxiliatores, Libro typis evulgato proclamantur, & in qua neq; Cæsaribus Augustis, Rudolpho Secundo, Matthię Primo, piè vita functis, FERDINANDO hujus nominis Secundo, Hungarorum ac Bohemorũ Regibus, neque Primati Hungariæ, neque Palatino, non primis, tam Ecclesiasticis, quã Sæcularibus, Catholicis, & etiam adversę religionis Proceribus, imò nec vivis parcitur neque mortuis, testes nullos, nulla ex rationibus argumenta depromere, vel hominis planè insanientis est, vel qui projecto semel vniverso pudore, omnes † verecundiæ limites ac terminos gnaviter transiliente impudentia, quidlibet fingendi, dicendi, conviciandi, scribendi, & vbique, & in omnes, debacchandi sibi licentiam vsurpaverit.

† Terent.

Quod sepulturas vestras, à sacris Templorum ac Cimiteriorum nostrorum locis abarceamus, quod Campanarum nostrarum sonos exequijs vestris deservire nolimus, * Sacrorum Canonum religiosa observatione adducimur, quibus, & ex fidei Catholicæ præscripto obtemperare jubemur, & possumus per leges etiam Hungaricas, de libertate Religionis † conditas, cum id ad liberum Religionis nostræ vsum ac exercitium pertineat. Et vos, qui nulla Canonum obligatione, vestro quidem judicio ac sententia tenemini, vestræ vel alterius religionis homines vbilibet sepeliendi, nihil enim apud vos interest, quomodo sacra loca cultui divino apta conserventur,

* Cõcil. Colon 3. parte 7. cap. 51. Idem Concil. parte 9. cap. 14.

† Vide Articul. Anni 1608. Posonij in Com. Gen: Cõditor. Art. 1.

ventur, quomodò polluantur ac profanentur, & Divinorum officiorum exercitijs, incongrua, minus decentia, & non apta reddantur, quomodò vicissim eluta ac expurgata labe, peragendis sacris mysterijs & ministerijs reconcilientur, nihil de Campanarū vestrarum benedictione, nihil de illarum vsus limitatione, quorum scilicet illas exequijs pulsare licitum sit, quorum nefas, à sacris Canonibus, quos quidem à vobis observandos religio vestra vos doceat, & adstringat, edictum præceptumque arbitramini, & tamen frequentibus exemplis, Catholicorum sepulturas Templis vestris excluditis, in eorumque exequijs mutas omnino vultis, & jubetis esse campanas vestras, vt satis, imò plus satis appareat, non esse interdicta sepulturis nostris Templa vestra & campanas, quia aliqua religionis Lutheranæ vel Calvinianæ regula, quam salvis conscientijs vestris prætergredi, eidemque obsistere non audeatis, id præcipiat, sed cum nostros dum viverent, Catholicos fuisse intelligatis, continuato vivorum in mortuos odio vestro, eorum etiam funera ita oderitis, vt Templorum ac campanarum vestrarum communicatione non dignemini.

Quo verò nos irrefutabili argumento, non animo tantum capiatis, si quid intelligitis, sed & manibus palpetis, si quid sentitis, non vestri odio, sed fidei ac religionis Catholicæ, quæ nostra est, Canonibus, sepulturarū in Templis Cimiterijsque nostris, & vsus pulsandarum ad illas campanarum nostrarum discrimina observare, non tantum sepulturis vestris Templa nostra, & Cimiteria patere, & Campanas nostras sonare non permittimus, sed † & Catholicorum, censuris Ecclesiasticis obno-

† *Alexand. 3. vt citat. in Concil: Later. sub eod. celebr. part. 31. c. 6 apud Crespe in Cath. fid. verbo Excom.*

obnoxiorum ac impeditorum, & hoc etiam ex edicto eorundem Canonum, quibus non nisi cum gravi Dei ac animarum nostrarum offensa possumus obluctari. Addo non una ex causa, neque semper valde gravi, viventes etiam Catholicos, ita ab ingressu Templorum nostrorum abarceri, ut etiam portæ in illorum faciem occludantur, si clam irrepant, candelæ in altaribus extinguantur, & à reliquis Divinorum officiorum exercitijs, statim, vel in ipso principio, vel medio in progressu, hoc est, ubi primum censuris irretitus comparet, cessetur, quod tamen nunquam in Hungaria Lutheranis, vel Calvinistis, Templa nostra sive spectatum, sive auditum ingressis contigisse memorabitis.

Quid ex hoc capite, si rem ut soletis, ad voluntatem vestram, non ad pondera ac libras rationis conferatis, quid inquam colligetis, nisi majori Catholicos à Catholicis odio haberi, majori affici injuria, ac persecutione, quàm Lutheranos & Calvinistas? Sicut enim majora à vivis in vivos, quàm à vivis in mortuos opinione vestra, qui vivorum preces ac sacrificia, nihil omnino mortuorum animabus prodesse posse, religionis vestræ * Articulis adnumeratum profitemini, beneficia conferuntur, ita nihil interest, si ad commodum aut nocumentum quod eo illis fiat spectetis, quo in loco, & an ad sonum campanarum, vel sine illo, sepeliantur.

* August. Confess. in Artic. quibus recon: abus: Artic de Missa.

Iam duplici ex capite videri vobis posset, neque sine aliquo apparente rationis fundamento, magis à Catholicis in Catholicos, quã in Lutheranos & Calvinistas delinqui; primò, quia Catholici etiã viventes Tẽplis excluduntur, quod vobis nõ contingit. Secũdò, quia Catholici,

etiam

etiam mortui, si subsint censuris, Templo itidē & Cimiterijs excluduntur, qui dum viverent, speraverant, si post mortem in Sacris illis locis sepelirentur, plurima in illos à vivorum precibus, & sacrificijs, commoda derivanda, si illic non sepelirentur, timuerant, magno se sacrorum suffragiorum emolumento, & quidem gravis pœnæ nomine destituendos, ac privandos, quæ hæc quoq; vobis religione vestra aliter formatis, neque sperare in mentem venit, neq; formidare.

Quid hic ais PRÆDICANS, nodo rationis ac veritatis arctatus? Exolve te si potes, & profer vllum, at non vndecunque, sed è vero, & veri, & verum argumentum, CLERVM non Canonum religione, sed odiorum stimulis, vestris sepulturis Templorum fores occludere, & campanas jubere esse immotas. Mutesces hic scio à ratione, à voluntate verò & turba ac tumultu, sine ordine se se mutuò prævertentium, subsequentium, impedientiumq; animi passionum, tergiversabere. Sed nos, qui inter alios Pisces, etiam Anguillarum naturas cognoscimus, sicut illas capitibus tenus non semel compressimus, ita hic argumentorum tuorum caput, tuam scilicet rationem ac intellectum, vt nobis elabi nullo modo possis, comprehensum constringimus.

† Dicis CLERO Authore astutum Anno 1614. quo tamen neque Diæta celebrata est, atque ideo publicæ leges condi non potuerunt, de extirpandis Evangelicis, Articulum. Typi error est; voluisti opinor scribere, Anno 1604. Sed hoc quoque merè dictum tuum est, nullo comprobatum fundamento. Si quid aliquo Articulo cautum fuit, id neque solo CLERO Authore, neque aliter

† *Querela fol. 4.*

aliter quàm in veterum ac Patriarum legum confirmationem accidit, nullo modo in extripationem quorumcunque hominum. Certè falsi dogmatis Zizania, etiam judicio vestro, quæ talia haberetis, vel seminanda non essent, vel seminata essent extirpanda. Scio contra Lutheranos tam * Budæ, quam in Campo Rakos, publicis ac generalibus Comitijs, decretos Articulos, qui nunc quoque Decreti Hungarici volumine continentur. Sed hoc soli CLERO non attribues certo aliquo argumento, verùm omnibus Statibus & Ordinibus, qui eo tempore, Lutheri à fide Catholica secessionem, & seditiones in Saxonia excitatas, & doctrinam, quam Comicorum imitatione, Evangelij nomine vestitam, ne probabili quidem conjectura apud Viros doctos veram, conabatur obtrudere, jam in Hungariam quoque paulatim paulatim malam scilicet mercem irrepentem, reiciebant, respuebant, & aversabantur. Quo, quis dubitet Lutherum in illam animi ac verborum intemperiem adductum, vt hæc diceret: † *Ne vllo pacto obsequamur vel in militiam ire, vel dare aliquid contra Turcas, quandoquidem Turca decies probior prudentiorq; est, quam sunt nostri Principes; quid talibus fatuis contra Turcas prosperè eveniet?* Quod quidam dicunt, à puerorum indole, in quos olim, & quales viros evadant, & dum adhuc frumentum in herba est, de futura messe fieri conjecturas, plurimorum prudentiam jam tunc non fugiebat, ex talibus initijs, in quos progressus, ac incrementa veniret Lutheranismus, neque aliter Lutherani Subsellij successores, ab eorum Authoris nomine Lutheranos scilicet PRÆDICANTES acturos, quam sicut ille populos ab obedientia Principum

* *Vide Decr. Ludov sec. Budæ: Anno 1523. Artic. 54 & Constit. in cãpo Rakos art. 4.*

† *Luther. cont. duo mand. Imperat. Anno Dni 1524.*

cipum abducere, imò insurgere in Principes, & Turcis longè quàm Christianis benevolentiores ac faventiores facere contedebat, ita, & idem isti quoque agerent, quin & illi, qui istis, sed & contra istos successerunt Calvinistæ PRÆDICANTES; qui, quod Hortulanis familiare est, vt pyris poma, vel pomis pruna, & alia atque alia Arborum genera, alijs vicissim generibus, inter sese tota natura differentibus inserant, Lutherani dogmatis trunco Calvinismum inserverunt, hac tamen exempli diversitate, similitudine autem alia sementorum Terræ injectorum quod scilicet Arbores Arboribus insitæ radicibus ac lignis quibus insunt, corruptionem non inferant, infert autem Lutheranismo Calvinismus, qui sicut legumina sementis putrefactione excrescunt, ita Calvinismus Lutheranismi desitione. Tam pacata fuerant initia Lutheranismi, quàm illius postea & illum excipientis, destruentisque qua qua posset Calvinismi successus, qui etsi inter se intestinè dissideant, oppugnandæ tamen fidei Catholicæ, sicut * Herodes & Pilatus Christo Domino illudendo, & divexando, ita convenerunt.

* Luc. cap. 23 v. 12.

† Dicis, magnam cladem illatam Hungariæ, desævitum in omnem ætatem ac sexum. Tu innuis quando, dicam ego expresse, illis scilicet temporibus, quibus Stephanus Bocskaj (quem tu subtices, conscientia credo malefactorum illius, quod satis scias, illum non religionis negotio adductum fuisse, vt Patriam perturbaret, sed quia retectum fuerat quod cum Turcis in Christianorum perniciem moliebatur) adscitis sibi tam Turcis, quàm Tartaris, Hungariam devastabat, coronam à favente sibi Turcarum Imperatore acceptabat, Strigo-

† Querela fol. 5. & 6.

 nium

nium à Christianorum dominatu in potestatem Turcarum veniebat, Episcopi Nicolaus Micatius profundissimis Varadiensibus, hoc est, sui Episcopatus residentiæ carceribus, pædore, tenebris, fame, ac siti, & cum aliquamdiu, ne jacere quidem posset, ita enim constitutus fuerat, vt tantum sedere cogeretur, & hoc quoque, quia non nisi admodum ægrè ac molestè poterat, vigilijs conficiebatur; Georgius Szalatnaki Episcopus Quinqueecclesiensis, & Præpositus Major Agriensis, æger in exilium pulsus, rebus omnibus amissis, Regijs eleemosinis in Polonia sustentatus, vita defungebatur; Martinus Pethe Archiepiscopus Colocensis, idemque Administrator Episcopatus Iauriensis, & Regius in Hungaria Locumtenens, Sabaria, Patriâ scilicet Sancti Martini non longè procul, obsessa ac intercepta viarum securitate, everso curru, distractis Equis, & omni supellectile, admodum affecta ætate, difficillima sibi fuga salutem conservabat, Franciscus Forgacs tunc Episcopus Nitriensis, & Regni Hungariæ Cancellarius, postea etiam Archiepiscopus & Cardinalis Strigoniensis, Nitriâ, Episcopatus sui Arce, & residentia, ejusdemque loci Capitulum Bonis omnibus, hoc est, possessionibus, & tam Ecclesiasticis seu sacris, quâ domesticis, & alijs dispoliabatur, Canonicorũ quoque Strigoniensium Ædes Tyrnaviæ invadebantur, diripiebantur, sicut & Cassoviæ Capituli Agriensis, Bonis mobilibus & immobilibus per vim ademptis (nihil enim familiarius tunc quoque fuerat, quam in Bonis Ecclesiarum auctionari, & socios tumultuum, Ecclesiasticorum facultatibus locupletare) Canonici variè irrisi, illusi, rapti, tracti, trusi, seminudi, semineces, carceris custo-

custodiæ tradebantur, quorum Stephanus Cassovius, & Stephanus Bolcrazi, candelarum flammas transfluentibus, pice, aut sevo, in pectoribus adurebantur, torrebantur, vt sic ambustis illis, corporis dolorum vehementia, devictam animi constantiam, carni ac Lutherocalvinismo subigeret. Sed hæc omnia irrito conatu ac carnificina, probatur enim & purgatur aurum igne, homines itidem verè boni tribulationum tentamentis; Ludovicus Vylaki, Episcopus Vesprimiensis, in Arce Simeghi, vbi residere solitus fuerat, in ipso Sedili ad mensam, quos amicabiliter exceperat, in neminē eorum vel verbulo injurius, ab ijsdē, districto acinace, capite obtruncabatur, quod abscissum à reliquo corpore, per fenestras projectum in rupem, ac colle, in clivum tabidum & ab ictu vehementi præceps, devolucbatur, plurima hominum (octoaginta millia affirmant magni Viri) per Pestanum Pannoniæ pontem, ex omni ætate, ac sexu, à Turcis, & Tartaris, miserandam in servitutem abducebantur, venum ibant in Barbarorū Castris, Matres à Filijs, à Fratribus Sorores, Socer & Socrus à Genero, Nepotes à Patruelibus, & alij ab alijs sanguine vel affinitate cōjunctis, etiam vsque ad Turcarum & Tartarorum admirationem, ac stuporem, qui attoniti hærebant tantæ crudelitatis cogitationibus, quibus animo repetebant, Ferarum immanitatē, quæ sui generis animalibus, non parcunt tantum, sed illa etiam suo periculo, sæpe vulneribus, ac nece quoque defendunt, humanam tyrannidem ita in suos deſævientem antevertere; Sacra suppellex, Infulæ Episcoporum, alia Ecclesiarum, Sacerdotum, & Altarium ornamenta, illæ ludibrij causa capitibus induebantur, &

magni ſcilicet triumphi Symbola, quò victoribus libebat (ſatis me intelligitis) deportabantur, his violenti, & illorum Vxores, imo etiam Equi adornabantur, Chriſtiani à Chriſtianis, ex Hungaria in Turciam Conſtantinopolim, in triumphum ductabantur, atque illud primo ac principaliter curabatur, quod ad Eccleſiaſticorum, ac Eccleſiarum noſtrarum, illorum calamitates ac tormenta, iſtarum diſpolationem & ſolitudinem fieri animadvertebatur, & alia plurima, maxima, crudelia, horrenda, quæ nec cogitatione ſingillatim conſequi, ne dum calamo conſcribere poſſemus, perpetrabantur. Sed à quibus, per fidem tuam PRÆDICANS, ſi quam habes, reſponde, ſi jam taces, perſcribe, à quibus? A nullo certè Catholicorum, ſed ab illis, quos Lutherocalviniſticum Evangelium veſtrum, ſicut ad hæc incitaverat, ita progredi hortabatur, alio quidem eventu, quàm quem ſperaverant PRÆDICANTES, non enim tantū Catholici, à non Catholicis, ſed & Lutherani, & Calviniſtæ, promiſcua clade, incendio, & mutata in ſervitutem libertate, deperibant, quia, non ſicut bono Patrifamilias, & curæ & intereſt, ne Zizania frumēti incommodis evellantur, ita & Zizaniorum proſeminatori, ne illa evulſo frumento remaneant. Suam quoque ille ſementem demetit, demetit vbi poteſt, & Catholicam, ſed illam, vt ſuo in penario igni tradat non conſumendam, hanc, vt vel calamitatum perſecutionibus ſuperatam, lucro ſibi ſtatuat, vel ſi hoc non poſſit, furori ſuo obſecutus, terræ tamen auferat, quam poſtea miniſterio Angelorum, Cœleſti horreo invectā, magno ſuo dolore ac rabie experitur.

Nihil itaque ex his, ſicut neque ex alijs, CLERO à ratio-

à ratione adſcripſiſti, ſed omnia à mendacio. Si enim mihi libeat, ab vno ad vnum, & plenè vniverſum negotium deſcripſerim, quibus medijs, ſeriò adcuraverit Bocskaius, homo Calviniſta, vt Tranſylvaniæ Principatu potiretur, cui adipiſcendo, plurimum hoc conferre intelligebat, ſi quæ Bona antea in Tranſylvania habuerat, ſed amiſerat, recuperaret, ob liberum illuc commeatum, conductumque ambitionis ipſius ſuffragatorum, ſic enim ex dimidiato negotium, quod agebat, perfectũ arbitrabatur; cui accedente poſtea Turcici Imperatoris favore, patrocinio, ac præſidio, totum quod quærebat, ſperabat ſe conſecuturum. Reſtituit illum in ea Bona Rudolphus Imperator, neſcius eorum, quæ ille animo coquebat, opera conſpiratorum paulo poſt expromptu-rus, & Commiſſarijs ſuis in Tranſylvaniam, Dominis à Krauſeneck, Hofman, & Inhof, clementer demandavit, vt Bona Bocskaio, ab eodem inpoſterum liberè vtenda & poſſidenda conſignarent; Ad quos cum ille in Tranſylvaniam veniſſet, Cæſareani mandati effectum petiturus & habiturus, obtigit illum vna cum dictis Commiſſarijs intereſſe Claudiopoli convivio Nuptiarum Matthęi Viczei, Civis & inhabitatoris ejuſdem Civitatis; quò bona illius fortuna, vt illi quidem ex privata cauſa viſum eſt, mala verò, vt ex publico Reipublicæ Chriſtianæ incommodo, ab omnibus bonis benè judicatum, Nuncius ad Bocskaium celer, ſed ſecretus advenit, conſpirationem ipſius retectam, literas, quæ illam continebant interceptas, eidem ad ipſam menſam, avidas novitatis in aures, compreſſo oris halitu, cautè ac ſecretò muſſando immurmurat. Vix ab illo dictum, vix auditum ab iſto; diſſi-

mulato metu, qui & animum, & ex naturali simpatia etiam stomachum commoverat, composito ad aliam rei speciem vultu, à mensa surgit, non se proripit, ne vel ex gestibus, subitam, quæ illum incesserat, formidinem proderet. Vnde liber (si enim eo die non abijsset, sequenti censoriam manum, fortè postea etiam pœnas non evasisset) nihil fugæ celeritati deesse passus est, donec in Hungariam, in suam Arcem, Kereki dictam perveniret; Quò socios convocavit, per quos corrumpendis Cæsareanis Militibus Hungaris, qui Iacobo Belgioiosæ Superioris Hungariæ Generali Capitaneo suberant, largitionis ac seductionis operarios expedivit. Neque id frustra, à fide enim Cæsaris illi, & à Belgioiosa, ad Bocskaiũ deficientes, Militem Germanum ac Silesiticum, qui ferè totus ex Lutherocalvinistis constabat, deleuerunt, vt manifestò constare possit, non tuendæ Religioni, sed occupando Transylvaniæ Principatui, initium tunc, à Bocskaio positum, quamvis Milites Haidones, religionis quoque prætextu, quem sibi flectendis, alliciendisque illorum animis oportunum judicaverat, à fide Cæsaris ac Regis Hungariæ, abalienabat, quasi verò, quod etiam nunc falsò nobis obijcitur, id tunc quoque operæ suæ precium quærerent & sperarent, & Imperator, & CLERVS, & alij Catholici, vt novitium ac peregrinum Lutheri & Calvini Evangelium, etiam cum hominum illo veneno fascinatorum cæde ac ruina, ex Hungaria sublatum, æternæ oblivioni devoveretur. Quod tamen quàm longè à vero abfuerit, id abundè, imò plus quam satis contestatum reddidit, quod Miles Hungarus, qui à Cæsare in subsidium Bocskaianum transiverat, primum

quidem

quidem in Lutherocalvinistas, quos à Cæsare stare intelligebat, militaria signa intulerit, & illos Bocskaiano illiq; ambitioso Transylvanici Principatus auspicio, quasi victimas mactando obtulerit, quod certè nunquam fecisset, si gerendo religionis negotio itum ad arma fuisset. Quidni etenim illud Germanis quoq; Militibus non Catholicis, facilè patere potuisset, qui neque ipsi, opinionis suæ minus tenaces extitere, quàm Hungari, neque se propagandæ fidei Catholicæ ministros exhibuerant, sed vindicandæ, vt etiam QVERELA fatetur, ab externis hostibus Hungariæ? Quibus novi Evangelij sequacibus, si aliud ab hoc, & præsertim id constitisset, quod tu comminisceris, Bocskaium tutamentum Religionis animo ac armis exequi, nunquàm se pro aliena religione, contra propriam, armorum periculis, atque morti objecissent. In quo toto, & qui ex eo consecutus est Tragico ac lugubri actu, qui totam ferè Patriam depastus est, nihil vt vides CLERO, si quid rectè dictum, aut scriptum velis, attribuas, nisi & illam operam, qua Cœlo in terram detrahendo, comprimendis, capiendisque Alaudis omnibus, primi ac maximi laboris sedulitatem impendisse CLERVS confingatur. *Querela fol. 3.*

Dicis, sed hoc quoque ex destructo jam, & falsitatis convicto, criminationis tuæ fundamento, CLERVM (quem per summam ignominiam, Patriæ pestem conviciaris) justis tunc de causis, Hungaria extorrem fieri debuisse, aliorum tamen Statuum & Ordinum gratiæ acceptum retulisse, hoc est, non jure sed gratia ab illis factum fuisse, vt spe quam de emendatione illius melio- *Querela fol. 6.*

rem

rem conceperant, dum Viennæ pax conciliaretur, priore illum loco relinquerent.

Hic quoque te, illis veritatis limitibus circumscribam, quibus manifesti mendacij tenearis, vbi ostendero, CLERVM, neque ex gratia, quæ condonatione culpæ, à Rege & Regno facta illi fuerit, eo loco, in quo ante has Anni 1619. turbas extitit, neq; priore loco ab Adversarijs fidei nostræ, quantum quidem in illis fuit, relictum esse. Primum sic ostendo: CLERVM nemo vnquam convicit factorum, quæ tu illi affingis, vel si convicit, profer Iudiciorum ac sententiarum, vel legum sive Articulorum monumenta; aliquid profer, quod ad hanc rem faciat. Extat pacificatio Viennensis, quæ turbas Bocskaianas, quibus à CLERO occasionem & causam datam scribis, excepit, nullum ibi talis gratiæ argumentum, nulla lex, nullus Articulus, nulla memoria, imò secus ab Imperatore, in pacis conciliationem non descensum, quàm (vt pacificationis verbis vtar) ABSQVE PRÆIVDICIO CATHOLICÆ ROMANÆ RELIGIONIS, ET VT CLERVS, TEMPLA, ET ECCLESIÆ, CATHOLICORVM ROMANORVM INTACTA, ET LIBERA PERMANEANT.

Vide Pacificat: Viennen. Art. 1.

Logos itaq; vendis, & quidem magis versutè quam verè, & graphicè, & hæc quoque tua fabula, decipula est, qua *CLERVM præter omnem hominum* (vestri scilicet similium) *opinionem, ex mera gratia, in suo priore statu relictum*, asseveras. Et rem acu, cum præter illorum opinionem dixisti, scivisti enim non præter æquitatem, neque

Querela fol. 6.

præter

præter juris ac justitiæ debitum, quæ vnicuique quod suum est reddi jubet, quæ illis restituta sunt, fuisse restituenda. *Gratia* quidem *DEI sumus, quod sumus*, & quas quibus Ecclesiasticis Reges Hungariæ dignitates, & Beneficia conferunt, Regiam gratiam rectè nominamus, si tamen gratiæ vocabulo illa veniat, quæ quandam in se juris oppositionem continet, vt ex gratia fieri intelligantur, quæ præter Iuris, imò quodammodo contra Iuris normam, ac rigorem, delictis reatuum condonatione impenditur, negamus à Statibus & Ordinibus Hungariæ, Statum ac Bona nostra, quæ sine jure, nullo nostro demerito, per turbas & tumultus, vi ac violentia nobis ablata fuerant, eadem, *ex mera gratia*, sed dicimus, ex mero & manifesto jure, nobis vicissim esse restituta.

1. Corinth. ca.15. v.10.

Querela fol.6.

In eo quoque malè agis, nec leviter, quod nomine Statuum & Ordinum, solos Lutheranos & Calvinistas comprehendas, si enim & Catholicos, atque illos quoque scripseris, CLERO, quasi verò male merenti de Patria, quod ademptum fuerat, *ex mera gratia* restitutum voluisse, planè is es, cui ob mendacium à veritate vapulasse, pudorem nullum afferat. Scis enim Catholicos cessisse quidem turbulento tempori, nunquam tamen consensisse Ecclesiasticorum Bonorum ademptioni, quam iniquam & injustam fuisse, satis animadverterant, sicut æquam semper judicarunt & Patriæ legibus ita conformem, vt secus fieri injuria tantum posset, illorum restitutionem. Scis inquam hæc & tamen contra mentem tuam sic dicis, sic scribis, quod Augustino, justa nominis Etymologia, ac descriptione, mendacium visum est atque cognominatum.

Vide Becan. de fid. hær. serv.

August. in Enchir. ca. 22.

 Iam,

Iam, quod CLERVS, quantum in vobis fuit, priore ſtatu relictus non ſit, teſtantur quæ egiſtis de Foro Decimarum ab Eccleſiaſticis ad Sęculares transferendo, de Titularibus Epiſcopis à Regijs conſilijs excludendis, de intervertendis & in PRÆDICANTES partiendis Archidiaconorum cenſibus, de adimendis Patrum Societatis IESV poſſeſſionibus, de eliminando Caſſovia Capitulo Agrienſi, & aliæ propè omnes Prælaturæ, & Capitula, tantis affecta damnis, quæ nunquam fuerunt æqualibus commodis refecta ac repoſita, quæ ſi omnia, à perſonarum, à rerum, & locorum commemoratione, vt quæque acta ac facta ſunt, per ordinem repetam, ingentis voluminis, non brevis Apologiæ materiem componam.

Vide quàm hic quoque manifeſtè falſi convictus tenearis de CLERO, ſive in priore ſtatu relicto, ſive de modo relinquendi.

Dicis alia, malusque promus, de malo, hoc eſt ægro, ac ad bonum nauſeante ſtomacho, egeris, nobisq; oggeris convicia, (tua ſcilicet in nos, magna animi tui lubentia, nomina transmoveres) quos ante Bocskaiana tempora malos experti fueratis, poſt illa, factos nos deteriores, & peſſimos, & qui illam occinamus cantilenam; LVPVS PILVM NON ANIMVM MVTAT. Poſitivum iſtud, tuo theſauro apponendum, quo fias luculentior; Comparativum, quo plus à malitia habeas, quàm qui mali ſunt, tibi comparandum; Superlativum quoq; tuum eſto, (liceat cum Literatore colloqui Grammaticè) quo ſuper omnes feraris tuo merito, & in hoc tibi contingat digito monſtrari & di-

Querela fol. 7.

cier

cier hic eſt. Illud verò, quod nos occinere tu occentas, non primò, ſed verè tamen à nobis, & alias ab alijs, & quidem multis, dictum, & receptum pro vero, Lupus pilum mutat, animum non itidem; ſed illi pejores Lupis, qui & pilos & animos; vos pilos quia caneſcitis, animos quia non eſt finis veſtræ in religione mutabilitatis, & ejus, quæ eſt à quiete ad ſeditioſas perturbationes, à concordia ad rixas, à tranquillitate ad tumultus, à legibus ad licentiam, à pace ad Bella. Attigi quædam de Luthero & Calvino veſtris in religione Magiſtris, Doctoribus, & Ductatoribus, ſed & alia de illis, & recentiora exempla de alijs, tempori ſubijcientur, ſuo loco.

Dicis inimicitiarum inter Patriæ Cives, auxilij ſpecie contra Principem Tranſylvaniç profectionis, & tunc effuſi ſanguinis, non obſervatæ per Sacram Cæſaream Regiamque Majeſtatem pacificationis Viennenſis, Canonis, quo Hæreticis fides non ſervanda doceatur, & quod pacta vobiſcum conventa à Catholicis non adimpleantur, quod Auguſtiſſimus Imperator FERDINANDVS Secundus, (tuis hic verbis vtar, ne meis putent aliqui) *præter ſolitam ſolennitatem vocationis, hactenus in Regno obſervatam formam non obſervaverit, & intempeſtivè diſſidentibus Regnicolarum votis venerit, quod in electione Palatini non ſecundum ſuperinde ſancitum Articulum proceſſum ſit, quod binæ propoſitiones fundatæ & non vno contextu extradatæ, quod Anno 1618, everſioni Regni Diata coacta*, quod Dominus Nicolaus Eſzterhas, ſi Matthiam primum Michael quondam Szilagyi in Regem promovere potuerit, cur inſani (tu es enim ſic loquutus) non poſſent FERDINANDVM *Querela fol. 7.* *Querela fol. 7.*

DVM eligere, tu garrivisse garris, ego si quid dixit dixisse scribo, sit ausus; quod Medicus Iessenius ad Posoniensem Diætam Bohemorum Legatus captus; quod Legati quorumcunque in legatione procedere non audeant, quod Personalis in vltima Diæta, nomine Statuum Romanocatholicorum, libero Religionis exercitio protestando reclamaverit, horum omnium CLERVM esse Authorem, miror quidni etiam dicas; CLERVM

Surripuisse

Plautus in Trinummo

Jovi coronam de capite è Capitolio,
Quod in culmine adstat summo.

Recte hæc de vobis, & plane ad rem, PRÆDICANTES, parcite contra fabulas vestras, quod verum depromam ex fabulatore;

Plaut: ibidem.

Qui omnia se simulant scire, nec quicquam sciunt,
Id quod in aurem Rex Reginæ dixerit,
Sciunt, quod Juno fabulata est cum Jove,
Quæ neque futura, neque facta sunt, tamen ij sciunt,
Falson' an vero laudent, culpent quem velint,
Non flocci faciunt, dum illud quod lubeat, sciant.

Sed

Sed & CLERVS, de se hæc rectè, cum vos illi maledicitis PRÆDICANTES;

Est atq; non est mihi in manu, Plaut: ibid. in Trinummo.

Quin dicant non est, meritò vt ne dicant, id est:

O si exquiratur vsque ab stirpe authoritas vnde hæc in CLERVM dicas famigerator, in verborum tuorum Nundinis, quæ sagittata venum exponis, paucos reperias acceptores, nisi fortassis illos solos, qui sciunt quod nesciunt, de verbis tuis & tibi similium famigeratorum. Vel vnum probes ex multis, quæ profers, vel nullum proferas improbatum. Quæ dissidia, quas inimicitias narras CLERI opera inter Patriæ Cives natas? vel totus CLERVS illas communi labore peperit, vel aliqui ex illo? si totus, inter quos, vbi & quando? Si aliqui, qui illi Authores? qui dissidentes? Obmutescis jam ad hæc, sed cur mutivisti antea? cur à latebrosa & domestica murmuratione, in publicum clamorem ac scriptionem, armorum confidentià, prorupisti? CLERVS negat factum ab ipso, quod tu affirmas; profer argumenta, sed in illis desidebis & silebis: producas, sed cave, ne mercede conducas testes, facilè enim multi pejerant ad precium. Quos inter se inimicos nominabis ex Patriæ Civibus, quæstio apud illos fiat, de origine discordiæ, de Authore qui illam interjecit, vt veritatis cognitio vndecunque eruatur, convincendæ falsitati. Quæ in Transylvania Gabrielis Bathorei tempore † acta sunt, CLERI suggestioni nequicquam adscribis; Vivit qui tunc Generalis ducebat Exercitum, idem qui jam Regni Hungariæ Palatinus

Querela fol. 10.

† Anno Domini 16 11.

 latinus

latinus est, D. Comes Sigismundus Forgacs, visæ literæ Georgij Thurzo, qui tunc Palatinum egerat, quibus Generali illud operæ demandaverat. Sed, an ille idem Thurzo contra eundem Bathoreum arma non moverat, castra sua metatus non longè à finibus Bathoreanarum tunc ditionum? An & iste CLERO Authori obnoxius, Exercitum ducebat adversus Transylvanum? Non opinor id à te respondendum, eâ tantum causâ, quia fuerat Lutheranus. Cur profectionem Domini Comitis Forgacs in CLERUM conijcis? Id ajes, si quod intus coquis, totum simul expuas ex pectore, quia est Catholicus. De Locustis, de montium angustijs, de fame, de frigore, de Hungarorum strage quod addis, neque Theologum te ostendis, neque Polyticum, Non illum, qui, quæ in secretas divinæ providentiæ, sola DEI mente ab æterno conceptas rationes, referenda sunt, in quasdam causas, quas certas non habes, & in quosdam homines, quos reos convictos nunquam ostendes, referas, tam aperta & temeraria oratione; Non hunc, qui, quod superius quoque dictum habes, consilia damnas ab eventibus.

Querela fol. 10.

Cæsarea Regiaque Majestas Pacificationem Viennensem, sicut ratam voluit, ita & observatam. Qui itaque hariolaris, CLERUM eidem Majestati suasorem extitisse, ne illi observandæ haberet se obligatam? Cur sic pio tanti Imperatoris funeri non parcis? cur non illius memoriæ? Nimia confidentia promovit tuum Calamum, & linguæ tuæ libertatem, in tantam temeritatis licentiam vt quæ velles, & diceres, & scriberes, quò autem diceres vel scriberes, id abs te curatum cogita-

Querela fol. 7. v. 9.

cogitatumque non esset; tua etiam opinione armorũ tè præsentia vehementer adjuvit, alias pœnæ criminis læsæ Majestatis, in quam hac tua scriptione, non semel incurris, timore ac formidine tacuisses.

Nullus Canon extat fidem Hæreticis non esse servandam, doctrina Catholica est servandam esse: Extant ea de re, Libri multorum Catholicorum, negare non potes, & nos, vt promissa vobis facta adimpleantur, & voce & scripto prædicamus; Catholicorum enim est ea tantum promittere, quæ jure observari possint, vestrum ab illis nihil injuria exigere, si tam illi, quàm vos, legitimè velitis stipulari. Hic quoque victus es veritate, vtinam & pudore vincaris, quo intra terminos etiam animæ tuæ salutaris silentij contineare. *Becanus supra citatus.*

Quæ de FERDINANDO Secundo Augusto, & nostro jam, & tuo si agnoscas, totiusque Hungariæ Rege, ac Domino clementissimo, vndecunque contrahis, sive ex ejus in Regnum ingressu, sive ex Diætæ Anni 1618. celebratione, quam ad eversionem Regni factam, sive ab electione Palatini, in qua non legitimè processum, sive ex ijs quæ à Domino Nicolao Esterhas dicta ais, sive denique, quæ ex comparatione ac differentia electionis Matthiæ quondam Primi, cognomento Corvini, & FERDINANDI Secundi, in Reges Hungariæ, criminaris, vno illo solenni, & in leges tam ab Augusto Matthia, Secũdo hujus nominis, Rege nostro, jam defuncto, quàm ab vniversis Statibus & Ordinibus, ex quibus se se neque Lutherani, vel Calvinistæ, Barones & Magnates, Nobiles & Cives exceperunt, sed in illud, sponte ac liberè omnes consenserunt, *Querela fol. 7. & 8.*

recepto

recepto testimonio, ad conciliandam veritatis evidentiam, firmissime refelluntur, quod sic habet: *Universi Status & Ordines, in Civitate nostra Posoniensi, ad mandatum nostrum congregati, ad nostram benignam requisitionem, & paternam recommendationem, Serenissimum Principem ac Dominum* F E R D I N A N D V M, *Regem Bohemiæ, Sacri Romani Imperij Electorem, Archiducem Austriæ,* &c. *patruelem & filium nostrum charissimum, qui scilicet nostra in persona, dicto Conventui præfuit, ob excellentes & Heroicas, quibus pollet, animi ingeniјq; dotes, post plures eorum tractatus, juxta antiquam consuetudinem, & libertatem eorundem semper observatam, paribus votis, unanimiq; consensu, in Dominum & Regem ipsorum ritè elegerunt, proclamaverunt, invocatoq; demum Numinis divini auxilio, feliciter etiam coronaverunt.* Sed & illud addo, initium Articulorum ab eodem & Cæsare & Rege M A T T H I A & Regno, eodem Anno, & ijsdem Comitijs conditorum, sic habere. *Præfatio, in qua Status & Ordines Regni, pro paterna & pia quam de illis gerit cura, & sollicitudine,* (cujus præcipua ac summa pars erat, de F E R D I N A N D O in successorem ac Regem Hungariæ provisio) *Majestati Suæ Cæsareæ & Regiæ, maximas gratias agunt, obsequendi studium declarant, & ad Confirmationem Articulos in Diæta conclusos, præsentant.* Quorum Articulorum, ante scilicet F E R D I N A N D I coronationem conditorum, primum, ita auspicantur. † *A R T I C V L V S P R I M V S. Propositiones Sacratissimæ Cæsareæ Regiæq; Majestatis Domini eorum clementissimi, per Serenissimum Principem, & Dominum, Dominum* F E R D I N A N D V M *Electum Hungariæ & Bohemiæ*

Vide Articulorum Anni 1618. initium Posonij.

Præfatio Articulorũ Anni 1618.

† *Artic. 1. Comitiorũ ejusdẽ Anni*

Regem, Sacri Romani Imperij Electorem, filium & Patruelem ejusdem Suæ Majestatis charissimum; Dominum itidem eorum clementissimum Statibus & Ordinibus Regni Hungariæ exhibitas, ijdem fideles Suæ Majestatis Status & Ordines, eo quo par est fidelitatis obsequio acceperunt.

Quò te hic vertes PRÆDICANS? quid animo habebis obvium, quo illum firmes, ne in hac rationum tuarum ægritudine, ac morbo, collabascat? Num FERDINANDVS Augustus in Regnum ritè venit, hoc est, observato legum & Patriarum consuetudinum ordine ac tenore? Si affirmas, cur ejus adventum damnas in QVERELA? Si negas, quid respondes, ad hæc defuncti Imperatoris, & Statuum ac Ordinum Hungariæ, in tabulas relata legum testimonia?

10 At dicis, * *intempestivè* illum venisse, *& dissidentibus Regnicolarum votis.* (*Querela fol.7.*) Qui hoc? Tibi, an optimè memoriæ Matthiæ Augusto, & vniversis Statibus & Ordinibus credendum? Tu intempestivum dicis, quod Regno Hungariæ conservando, Matthias Imperator & Rex, paucis ante obitum suum Mensibus, ne Interregni incommoda Patriam nostram obruerent, postulantibus id Bonis propè omnibus, qui Patriæ amore ita tenebantur, vt in bonum publicum omnia consilia conferrent, de Successore optimo, ne illo meliorem, de maximo, ne majorem habere possemus, providit? Cui plurium mensium spatia, *plures Statuum & Ordinum Tractatus, antiqua consuetudo, paria vota, vnanimis consensus, ritè facta electio, proclamatio, Divini Numinis auxilij invocatio, fælix coronatio* intervenit? Tu *paria vota, vnanimemq́; Regnicolarum consensum,* quæ illi ipsi talia esse dixerunt, & inscripserunt (*Initium Articulorum Anni 1618. Posonij in Comitijs gener. eduorum.*)

legibus,quæ tu quoque, & oculis,& manibus subjecta habes,& vides,& palpas, diffidentia vota audeas appellare? Pisces extra aquam diu vivere non possunt, mors est conviciatoribus,si linguis cogantur temperare.

Intempestivum,ais,hoc fuit,quod à Regnicolis non vocatus (tua verba, tua sint, hic adscribã) *istorum superborum* (CLERVM præmittis,& Magnatum quosdam,eosque intelligis, qui tamen non intelligis, quod dicis) *consilium amplectendo, sub prætextu & colore Commissarij Posonium venerit.*

Querela fol.8.

Quod quæso hoc genus intempestivi? & quo te censore,& Statuum ac Ordinum, imò Regum & Imperatorum, insignitè scilicet prudente, ac sapiente Coryphæo? An Comitia tunc ex præscripto legum non fuerant celebranda? Hoc sanus non dixeris, si ab obitu defuncti Georgij Thurzo Palatini, decursum tempus ad eas Regni leges contuleris, quibus intra vnius Anni defluxum, ab initio vacantis Palatinatus, eligendo novo Palatino Comitia indicenda † constitutum est. An Commissarius nemo illuc mittendus, vel non mittendus FERDINANDVS? primum qua lege vetitum? qua secundum? Neutri quidpiam in legibus reperies adversarium. Nihil dicis, nisi verba, quæ tamen veritate frangenda sunt, vt sicut vacuarum nucum si rumpantur, ita emedullati, imò quia vix vnquam medulla infuit, vani tui sermonis inanitas,omnibus appareat.

† *Vide Articulorum Anni 1608 Posoniensium Art.3.*

Injurius es, in tanti Imperatoris, ac Regis sapientiam, qui illum superborum consilia amplexum dicis, quasi verò noluerit ea amplecti, quæ ab humilibus provenerint; injurius in eundem aliter, ac si pætextum tantum

tum,& colorem Commissarij, non rem ipsam gesseris; injurius in Viros magnos, quos superbiæ & garritus arguis. An non tu superbus * Semei, qui projecto pudore,& omni in tantam Majestatē reverentia, † vncto Domini tam apertè conviciaris? Tu colorem, tu prætextum habes in verbis, Rhetorico pigmento cerussandæ falsitati. Dicam quomodo: conatus tui vestigia quædam extant eleganter loquendi, & scribendi, non autem eleganter, vel loqueris, vel scribis, sed:

*2. Regū ca 16. v. 5. & 13.

†1. Regū ca 10. v. 1. & ca. 15. v. 1. 2. Regum ca. 12. v. 7.

Quisquis es invita loqueris, scribisq; Minerva.

Hoc est, naturæ tuæ deest genius, ingenio acumen, judicio soliditas, memoriæ tenacitas, Intellectui ars; si quid tibi artis est, deest exercitium, si te exerceas, temperatorem non habes, qui elevet, si deprimare, deprimat, si justo attollaris altius, animum tibi expurget, ne scateat odio, cui comes invidia, hujus vicissim fores in ore hominis sunt, quarū pessulum, quod amor DEI & proximi occludit, recludit in mala causa pruritus mendacis maledicētiæ, labra compescat, ne diffluant calumnijs, calamū, ne traducentibus criminationibus, totum te efformet, quò & rectè sentias, & modestè loquaris, & disertè scribas. Animi enim quædam vehicula sunt, & lingua, & calamus, sed vtrumque plaustrum iniquitatis, si mentiatur & lingua & calamus.

Hæc quæ dixi omnia, multis modis insunt scriptioni tuæ, in qua planè Cinicus & mordacitate, non tamen Diogenicus pondere sententiarum, Sinonicus qua appares intentione, imò quantum quidem in te est, eventu & Troianus, nisi DEUS manum ab alto extendat compescendis motibus, & misericordiæ suæ imbrem depluat

depluat restinguendo Patriæ incendio. Sic coloratus es, sic prætextatus PRÆDICANS. Intus te DEUS abluat, famosi enim tui libelli colores, Elephantis maculis ac lepræ affines, quibus falsitatem pingis, veritatem maculas, facilè, vt vides, ejusdem veritatis aspergine diluuntur.

Querela fol. 8. Matthiam Corvinum dum in vinculis esset, insciū ac nihil ejusmodi expectantem, *vltrò* inquis *in Regem electum & proclamatum*; Et subdis, *Nam qui Regiam sequitur viam non facilè aberrat*, Bohemorum & Moravorum Comitatu ac pompa, ad fines Moraviæ, editis vtrinq; multis lætitiæ Symbolis, *Hungaris* illum *assignatum*, quasi non vltrò, electus fuerit FERDINANDUS, extra viam Regiam aberraverit, electioni illius non applausum, non sint exhibita signa exuberantis omnium Statuum ac Ordinum lætitiæ.

Si tam argutus sis, quam apparere cupias, arguto tibi nomen indamus, qui modo ita hebeti te ingenio esse ostendas. Nescio an aliquando deforis, id est, clausum, Bonfinij Hungaricarum Historiarum librum, à longè aspexeris, legisse certè non videris, aut si legisti, mirum, cur rei, ac scriptioni tuæ, tam malè prospexeris. Matthiam ego Corvinum tanto magis laudo, quanto illi, quàm tu, religione sum propinquior. Quid dico propinquior? imò nihilo ego ab illo differo in fide Catholicâ, intellige genus & speciem, quo nomine naturam & ab omni alio ac falso dogmate differentiam accipio Catholicæ fidei ac religionis. Tu verò, multò longius dissides, quam Terræ superficies à Cœli convexo est remota. Hæc enim, si DEO sic videatur, & mutuò sese possunt contingere,

tingere, & illa in istud, hoc vicissim in illam reciproca conversione transmutari. Sed sicut semetipsum DEUS negare non potest, ita neque propinqua esse veritati falsitas, neque altera in alteram converti, tantum distat à Catholica veritate, Lutherocalvinismus. Magnus itaq; Corvinus, & rebus, & nominibus Regiarum virtutum, verùm, id evidenter constat, majori votorum ac suffragiorū libertate in Regem electum esse FERDINANDUM Secundum, quam Primum Matthiam. An non habet expressis verbis Bonfinius, Michaelem Szilagy, cujus Matthias Nepos ex Sorore fuerat, ab Elisabetha Ioannis Hunniadis vidua, ejusdem Matthiæ Matre, Michaelis veró Sorore, ingentibus (insanis dicit Historicus) pecunijs adjutum, & Matthiæ in Regem promovendo, *è Transylvanis ac inferioribus Hungariæ partibus, item è Bohemis, Polonis, Alemannisq; dato stipendio, magnum sibi Exercitum, ad numerum circiter viginti millium comparasse, multis copijs in Regalia Comitia in Campum Rakos descendisse, In medio deinde Campo, quando plures in Comitijs dies acti sunt, Furcas, Laniariamq; Mensam proposuisse, gravi edicto, quicunq; Matthiæ suffragia reddere recusarent, præsentaneam mortem interminatum esse?* An *Michael, cum rogati essent Proceres in Campo dicere sententiam, Conventum universum instructa acie non circumvenerat?* An tunc *extinctam suffragiorum libertatem*, non ægrè tulerunt Corvinæ Domus Adversarij? An non, prope in ipso pro Matthia orationis medio, hæc dixit Szilagius: *Quod si refragantium iniquitate assequi non licebit, ab isto Regnum gladio accipiemus?* Non legisti, *inter armatas acies neminem reluctari ausum, Ladislaum Garam Palatinum & Nicolaum Vylaki Vaiuodam, cæterosq; factionis*

2. Timoth: cap. 2. v. 13

Bonfin. Decad 3. lib. 9 circa initium.

Bonfin. Decade & lib. citatis.

ejusdem, vi ac metu adactos, Michaelis sententiam se approbaturos promisisse?

Hæc tunc acta, aliter in electione FERDINANDI, cui promovendo, nulli ab vllo Exercitus contracti, nulla armorum & mortis terriculamenta intermixta, permissum cuilibet, pro votorũ libertate, quod volebat, expromere. Quis ad imitationem Szilagij pro Regno Hungariæ in FERDINANDVM transferendo, quidpiam cuipiam gladio cõminatus est? Nullus. Quis quæso armis ad extorquendas pro FERDINANDO sententias, Comitia circumuenit? Nullus. Quis vi ac metu, & cujus votum coactus est approbare? Nullus, & nullius. Omnia in omnibus libera, à minis, ab armis, à formidine. Quid multis? Qui secus dixerit, aut scripserit, testimonio Matthiæ Augusti, & Statuum ac Ordinum Hungariæ, quod in Regni Tabulas insertum retinemus, & jam citatum est, jugulabitur. Quis negaverit, ita sudo tunc Cœlo, Solis radios effusos, vt nulla inter illos, atque oculos hominum, nubes, in Aére, vel nebula intercesserit? Quis festivum omnibus hilaritatis significationibus diem? Quis salutatrices ac comprecatrices Regiæ fœlicitatis acclamationes? Qualis electionem coronatio, talem scilicet ac tantam festivitatem, quantus jubilus excepit? Quæ pro Rege vota? Quæ Regij Comitatus pompa? Quæ tubæ? Quæ Tympana? Qui cantus? Qui tormentorum fragores, vt jam media serenissimaque die, illi aures opplerent, fumus Cœlum occuleret? Quanta Regij Convivij, quo tanta ac tam benigna Majestas, omnes Status & Ordines dignabatur, abundantia?

In principio Articulorũ Anni 1618.

Sed

Sed multum forsitan interfuit, præsentem an absentem FERDINANDVM, in Regem elegerint, quasi verò aliàs, & antea, omnes absentes, nullos autem præsentes, capessendo tanti honoris culmini postulaverint. Via Regia est Regem ritè eligi, huic institisse FERDINANDVM, Leges Hungarorum contestantur, contra quas antestare, si potes, & si legem lege viceris, verus esto, quas concordes qui oppugnas, legibus victus, falsus es. Ita etiam deceptus, qui Diætam Anni 1618, Patriæ noxiam scribas, in qua FERDINANDO Hungariæ Regis nomen dedimus & Insignia. Neque minus erras, sed magis criminaris, cum Nicolao Eszterhas, pluribus virtutibus, quàm nominibus magno, quę animo odij artificio confinxisti, calamo adscripseris, quò nimirum illi ad tuum institutum noceas, tibi tamen magis noxius, animæ tuæ damno, & nominis. Ille enim ita semper vixit, ita loquutus est, vt traduci quidem à criminatoribus, à veris tamen Censoribus meritò reprehendi non possit; apud æmulos verò & invidos, qui generi illius Palatinalis splendoris, maximarumque non Hungaricarum tantum, sed & Germanicarum Familiarum participi, & tempore antiquo, & stemmatibus illustri, fortunis item & dignitatibus, sicut his omnibus illo sunt inferiores, rari illi æquales in omnibus, ita animos adversos gerunt, ita linguam, ita calamum, ætatem, quæ annis nondum provecta est, neque terminos Iuventutis egressa, prævertentis prudentiæ maturitate, maximam laudem imò & maximã Principum hominum æstimationem sit consequutus. Quod ille Catholicus, Fœminæ, antiquissima ex stirpe nobilissimæ lectissimæque (quam

Querela fol. 8.

Querela eodem fol. 8.

 etiam

etiam vestrorum quidam, Typo luceque donatis carminibus, Angliç Regis ad Filium libro translatione Hungarico, subnexis, magnificè vt quidem scribenti videbatur, minus tamen amplè, quàm tantæ tamque Illustris Matronæ dignitas promerebatur, idem qui librum illum ex Latino Hungaricum fecit, * collaudavit), prius saluti, quàm quærendo matrimonio animum addixerit, Conjugem illam ex Lutherocalvinistica, piam, devotam, firmam, ac fortem Catholicam habuerit, Aulæ suæ Domesticos, quorum maximè curam habendá Doctore † Apostolo intelligit, à Lutherocalvinismi morbo, sermone Domini, * qui sanat omnia, curandos & sollicitè & fructuosè providerit, & † Zelo Domus Domini conceptum animi ardorem, alijs quoque, & quidem multis erga DEVM inflammandis communicaverit, & se murum pro DEO, Ecclesia, Rege, legibus, & Patria, verus servus, obediens filius, fidelis subditus, sincerus Civis, & gratus Patricius præstiterit; quod FERDINANDI in Regem electioni, qua nihil Patria viderat esse magis salutare, sit suffragatus, id ægrè accidit animis atque oculis PRÆDICANTIVM. Qui quod eorum quidpiam commemoraverit, quæ Michael quondam Szilagius, Matthiæ Primo in Regem accipiendo armis acta confecerat, non eò id vnquam dictum, sed ne cogitatum quidem ab illo, vt sicut olim Szilagius egerat, ita eligendo in Regem FERDINANDO, virium ac armorum metu quempiam adigendum, tantus Vir existimaret, sed quia, in tanta suffragiorum copia, non qui FERDINANDVM eligendum nollent, nunquam enim hoc auditum inter vota Comitialium, sed qui electionis tempus

* Vid Luctū super obit. Franc. Magocsi, ad fin. lib. Reg. Angl.
† 1. Timoth 5. v. 8.
* Sapien. 16 v. 12.
† Psalm: 68 v. 10.

tempus

tempus nimium producerent, vel extraherent potius, maturando lucrandoque tantæ solennitatis tempori, facilè viderentur posse superari, ideò in hunc, qui sequitur, sensum, est loquutus: Szilagius olim, vbi multos Comitiorum dies effluxisse animadverterat, ne solito, vel nimio longius producerentur, Matthiæ in Regem sortiendo vi extorsit suffragia, nobis qui tot ac tantos pro FERDINANDO suffragatores habeamus, quid sunt tempora à temporibus suspendenda? cur non eligendus in tanta votorum libertate ac copia FERDINANDVS? Aliter tu hæc accepisti PRÆDICANS, ac Dominus Eszterhas dixerat: Quid nostra? Sed hoc tamē interest, quod aliter à vero scribas, aliud prælo committas, falsum veri nomine vendites in vulgo, de hoc homine, non hominum tantum vulgo, sed & plerisque vulgi Dominis, quamvis magnis & Illustribus, majore tamen atque Illustriore.

Quas binas propositiones in Comitijs, & quidem successivè extràdatas, cùm vnis fortassis tantum opus fuisse existimes, in CLERVM refers, si rem, etsi jam serò, seriò tamen scrutabere, id ab vniversis Statibus & Ordinibus actum, factum, approbatumque fuisse, comperies, & hoc quidem ideò, ne primis, ob temporum, ac rerum incommoda, nihil omnino tractatis, si aliæ, hoc est secundæ, neque darentur in publicum, neque tractarentur, nihil in illa Diæta Regno provisum existeret. Et dic PRÆDICANS, quid tanti est, vnas an binas propositiones, vno contextu, vel pluribus componi & publicari, vt QVERELAM promereatur? Sed *Querela fol. 8.*

H cumu-

cumulanda fuit QVERELA calumnijs, ne nimium brevis esse videretur.

Querela fol. 7.

Quid Palatini quoque electionem vellicas? in qua quid peccatum in Regni Articulos existimes, nihil explicas. Illis rerum conditionibus, quibus tunc Comitia agebantur, si quid bono Ordini, si quid Regio, & Regni decori tribuendum fuit, prius Rex quam Palatinus fuit eligendus.

† Obiectio. Vide Decr. de Articulis Palatinatus, Artic 1. Anni 1485.

† At ex Regni Statutis Palatinus (inquies) primam vocem Regi eligendo conferre debuerat, vnde & Regiam Palatinalis electio praecedere.

* Responsio

* Respondeo, ad Interregni tempora, Articulum de prima voce à Palatino in Regiam electionem conferenda respexisse, secus autem esse, si Rege vivo, qui de Successore providere decreverit, & vacante Palatinatu, ijsdem Comitijs, Rex & Palatinus sint eligendi. Qui enim tunc Servus Domino censeatur praeeligendus? Vno (vt plura silentio praeteream, quibus Reges Hungariae, sine Palatinali suffragio electi sunt) & huic quoque FERDINANDVS quoq; in Regem, & D. Comes Sigismundus Forgacs in Palatinum, electi, per omnia simillimo exemplo, nihil tibi causae esse, cur de Palatini electione conquerare, ad oculos, & tuos, & omnium, qui haec legent, demonstrabo. An vivente Rudolpho Imperatore, eodemque Hungariae Rege, Matthiam in Regni Successorem, & in Regem nostrum eligendum, ac coronandum, commendante, vnis atque in ijsdem Comitijs, non prius Matthias in Regem, quam Stephanus Illyeshazy in Palatinum electus fuerat? Prius fuisse testantur Regni Leges.* Cur ad illud exemplum, & eodem omnino modo, in

* Vide Praefat. Articulorũ Dietae Poson: Anni 1608.

do, in vnis vicissim, iisdemque Comitijs, Matthia FERDINANDVM commendante, non prius FERDINANDVS in Regem, quam Dominus Comes Sigismundus Forgacs in Palatinum fuerat eligendus? Etsi quę dicuntur, & scribuntur, verba debeant esse mentis, non impulsus cæcæ, atque sine lege & ratione erumpentis voluntatis, tu tamen certè, qui hæc non considerasti, qui in his QVERELÆ materiam venatus, illam in CLERVM transtulisti, hic quoque non à mente, sed à voluntate, & loquutus es, & scripsisti.

Querela fol. 8.

Iessenius, à Domino Comite Palatino, & meritò capi jussus fuerat, ne spargendo seditionum semini, inficiendisque aliquàm multorum animis, vagabundam morbidamque operam Medicus impenderet.

Querela fol. 9.

Qui terrores, quorumvis Legatis, & quando, & per quē ex CLERO objecti, quò minus Legationes suas auderent peragere? Designa tempus, nomina personas, profer terroris, sive ab aliquibus concitati, sive per aliquos concepti, documenta. Nulla reperies; si ne ficta quidem habere potes, cur QVERELAM querelis multiplicas?

Querela fol. 9.

Personalis, de quo paulo post plura, non libero Religionis exercitio, vt tu dicis, sed adimendis Templis Catholicorum, eorundem omnium nomine, & quidem Iure Divino, & humano, tam Civili communi, quàm Municipali & Patrio, quo ne id faceretis prohibemini, vt debuit, protestando contradixit.

Querela fol. 9.

Amplius dicis, variè peccatum, & quidem CLERO semper Authore, in Pacificationem Viennensem. Et quò

ex argumentis loquutus videare, plura adfers, quæ ego ad capita referam, singulis responsurus.

Querela fol. 9. Primò, per CLERVM ac CLERI Assentatores, Templa vestris adempta, vel à Templis avulsas possessiones, Ministris (quos tu Evangelicos vocas, sic & Arianos dicimus Trinitarios) debitos proventus interceptos, ipsosmet actos in exilia, obtrusos Plebi Catholicos Sacerdotes, quos tu Pontificios vocas, (& cur nos abnuamus & Sacerdotes dici, & Pontificij, qui & Christum Sacerdotem habeamus, & Pontificem? *Psalm. 109. v. 4. Hebr. cap. 5. v. 10. Hebr. cap. 6. v. 20.* habuit alios quoque illo, Christo scilicet inferiores, & Sacerdotes & Pontifices, vetus Testamentum, habet & Novum) quam Plebem si à Templis abstinuisset mulctatam. Et sicut in his, ita in plerisque alijs, quo ex CLERO vnicum tibi finxisse appareas, quem vehementius ferias, caput ac Antesignanum nominas, Dominum Archiepiscopum Strigoniensem, qui sibi magnæ sanè laudi duxerit, secus à vobis & haberi & appellari, quàm à magnis & claris Viris, quibus vos, nescio qui latebricolæ, & obscuri homines, nullo estis comparandi.

Respondeo, Evictum hoc vltimis, id est Anni 1619. generalibus Posonij habitis totius Regni Comitijs, CLERVM, in aliorum Bonis, nemini Templa ademisse, tam CLERVM autem, quàm alios Catholicos Sæculares Dominos, suarum Ecclesiarum jus ac jurisdictionem obtinere, eosq; à Iurepatronatus, vel publica aliqua lege, vel privato aliquo Diplomate, (Regium certè nullum extat, vel à Rege confirmatum) nunquam esse segregatos. Quo itaque jure exigitis à CLERO, vt Lutherocalvinistici verbi Ministros

vestros,

Miniſtros veſtros, in ſua Templa, corrumpendo Evangelio, ſeducendis populis, profanandis locis ſacris admittant, vel ſi quò, per rudis plebeculæ incautam ſimplicitatem irrepſerint, ab incepto in Templis latius ſpargendi veneni nocumento, ne illos inhibeant, ne excludant? Quo vt illos opulentent proventibus, quibus impinguati, incraſſati, dilatati, fortiores, ac obſtinaciores, Evangelio vim inferendi libertatem, aſtu initam, & en in quem jam illorum faſtum provectam, efferatioribus animis efferant, quaquaverſum voluerint? Quod itidem Catholici ſæculares Domini, jura ſibi Templorum ſuorum extorqueri, & in aliquos deceptos ipſorum Ruſticos, quorum, in Dominijs, Villis atque Oppidis, ſive retinendorum, ſive dimittendorum, lege latam poteſtatem habent, transferri non patiantur, quod PRÆDICANTIBUS, veluti Paſtoribus, ſtipendia non largiantur, quos pro depeculatoribus animarum habent, & ſub Ovilla veſte Lupos eſſe agnoverunt, quæ juſta eſt ratio conquerendi?

Non vno exemplo conſtat, adverſæ religionis Dominorum, Catholicos ſubditos, Sacerdotibus, & Catholico Templorum vſu, deſtitutos, aliquibus in locis, etiam privatos, & aliò viciſſim ad Templa Catholicorum commeatu, in illiſque Sacramentum Baptiſmatis recipiendi, & alia Chriſtianæ devotionis, ac debiti officij exercitia peragendi libertate prohibitos, objecta ab ijſdem Dominis, ſola Iuris in Templa, ac ſubditos authoritate.

Hoc vrgemus, hic rationem, & calamum figimus; oſtendatur, vel à CLERO, vel ab alijs Catholicis

Deuteron. cap. 32. v. 15. Ierem. cap. 5. v. 28. Colomanni Reg. Decr. lib 1. capite 19. Ludovici Secundi Decret. Buden Anni 1521. Artic 58. Matth ca. 7. v. 15.

Magnatibus, aut Nobilibus, Templa, quæ in Bonis Dominorum vel Lutheranorum vel Calvinistarum, illis ipsis Dominis, & eorum professionis exercitijs subjecta extiterant, vel Bocskaianis tumultibus, vel postea, contra Viennensis pacificationis Articulos fuisse occupata. Ne vnicum quidem exemplum habetis. Nos verò plurima & alias contra publicas, & postea contra Viennenses sanctiones occupatarum per vim ac violentiam Catholicarum Ecclesiarum exempla proferimus, Templum Deo & Sancto Michaeli Archangelo Sacrum, vna cum Scholis Soproni), Templa Selliense & Deakiense in Comitatu Nitriensi, Modrense & Zavariense in Comitatu Posoniensi, Templum Sanctæ Trinitatis in possessione Petreôcz, in Comitatu Castriferrei, Templum Pastoviense in Comitatu Hevesiensi, Templum Pagi Derés in Comitatu Gômôriensi, Xenodochium & Templum S. Elisabethæ in Montana Civitate Novozoliensi, Claustrum & Templum Fratrum Ordinis Sancti Francisci Oppidi Galgocz, in Comitatu Nitriensi, Templum Barkaszo in Comitatu Bereghiensi, Templum Bũ, in Comitatu Soproniensi, Templa Bezter, Garbocz, Othvar, Apathi, in Comitatu Abavijvariensi, Templum Ardo, & alia permulta, quorum si opus sit, absoluto numero Nomenclaturam ordinabimus. Taceo enim illa, quæ in Annum 1 6 1 9. ejusdemque Anni calamitosas Patriæ tempestates, Posonij, Tyrnaviæ, Zakolcæ, & alibi acciderunt. Iam, si Dominus Archiepiscopus, & officio ductus, & conscientia, & ratione, & Regni legibus, & non ipse solus, sed cum ipso alij omnes Catholici, qui Comitijs adfuerant, vel ipse cum illis

illis omnibus, rem & publicam, & Catholicam defenderunt; si, qui & multas, & graves injurias patiebantur, ad eorum, qui illas inferebant, & querelas, & accusationes responderunt, quid in eo ab Archiepiscopo, quid à CLERO, quid ab alijs Catholicis peccatum? Fateor QVERELAS adversum nos institutas, sed prius probandum fuerat, justas illas esse, quàm injustum illis responderi. Quibus ita respondimus, ita QVERELIS QVERELAS opposuimus, vt facilè vicerimus, QVERELAS nostras, ab ijs quas passi sumus, QVERELAS verò aliorum, ab illis injurijs, quas illi nobis facere contendebant, & quas nos evitare volebamus, desumptas esse. Nihil ab a quo recessimus, in nullo ad ea accessimus, quæ legibus essent adversaria. Qui itaque, sive in Templorum, sive in alio, quamvis ab illis diverso negotio, potiori saniorique parti, palam & manifestè (vt tu ais) nos opposuimus? Archiepiscopalis, id est ejus, qui jam Archiepiscopus est, Petri Pazmany, furfuris nos Asseclas cognominas; certè PRÆDICANTICI pulveris esse nolumus. Et ita sit, furfure enim pascuntur & homines, & alia animalia, pulvere verò graviter afficiuntur, imò & interficiuntur, illo dico, singulariter, cui PRÆDICANTICÆ animationis, favillæ, atque ignes, rumpendo ad fragores vsque Aeri, & traijciendis corporibus subijciuntur. Asseclæ fuimus non tam Archiepiscopi, quàm veritatis, cui explicandæ, sermonem ille contulerat. Et quidni tales, Oves erga Pastorem, aut etiam Pastores erga illum, cui in hoc officio, imò absolutè, Regni quoque leges * Primatis authoritatem tribuerunt? Quidni hæc? Et an æquitas animo tantum capienda, & quasi inter septa labrorum

Querela fol. 10.

* *Ferdin: Decr. Anni 1536, Artic. 15.*

brorum fuerat occultanda? An quæ facta non erant, facta esse diceremus, & vel manifestam innocentiam in culpæ suspicionem vocaremus, dissimulante taciturnitate? Sed sic est PRÆDICANS, quod sicut vobis secundum illum, qui primus humano generi corruptelam invexit, multorum Hungarorum à fide Catholica secessionem, & rectè attribuimus, ita illa animorum abalienatio in vos Authores refunditur, qua dogmatis vestri Auditores, & observatores, aliter ac loquamur, agamus, & scribamus, & dicta & facta, & scripta nostra interpretentur; Quemadmodum & tu, illud, † quod vltimo Comitiorum Anni 1618. Articulo, actum sit de libertate Religionis, contemptui adscribis. Sed hic quoque te, & Scripturæ Sacræ, & etiam Philosophiæ imperitum teneo. An non illa, * meliorem esse finem orationis quam principium; hæc vero, omnes actiones, speciem à terminis sumere, quæ item in intentione prima sunt, postrema esse in executione, satis te apertè, si legisti, & quæ legisti, si capere potuisti, docuerunt? Non considerasti in arte, & in natura, tam in illa, quam in ista, in illa, vel solo intellectus, vel etiam manuum opere, in ista generatione, quæ vltima sunt, prioribus esse nobiliora? Sed ne in hoc genere plura; timendum enim ne exclames, me nimium philosophari. Id satis ostensum habes, ex hac veritate, si animum illi applices, malè tibi opinandum de CLERO, aut alijs non fuisse, quod primus Viennensis Pacificationis Articulus, * postremo Comitiorum generalium Posonij fuerit confirmatus. † Quæ etiam exilia memoras PRÆDICANTIVM, nisi hoc apud te exilij appellatione veniat, quod Lupi ab ovilibus nostris abarcean-

† *Querela fol. 10.*

* *Ecclesiastes cap. 7. v. 9.*

* *Vide Artic: Poson: Anni 1618. Art. 77.*

† *Querela fol. 9.*

arceantur? TRISTE LVPVS STABVLIS. *Obtrusos quoq; invitæ Plebi Sacerdotes; absentem à Templis nostris eandem Plebem graviter mulctatam, nihil à locis † nihil à temporibus, nihil à personis doces, hoc tamen doces QVERELÆ tuæ lectores, nihil tibi à nobis causæ datum, sed te tantum confecisse, vel potius confinxisse causas cōquerendi, quasi verò nos, inter alia, in Pacificationis Viennensis articulos graviter impegissemus, quod certè, primo quidem, quod adversum nos statuisti religionis negotio, & exemplis, quæ illi suffragari existimasti, nullo vt vides argumento commonstrasti.

*Virgil. Ecloga tertia.

† Querela fol. 9.

Secundum exemplum violatæ CLERO Authore Pacificationis Viennensis, expeditionem in Transylvaniam, & ea, quæ illic contra Gabrielem Bathoreum acta sunt posuisti, quod jam superius refutatum est, & vel sola defuncti Comitis Palatini Thurzo, parandæ illi expeditioni, scripto facta jussio, imò postea ejusdem contra eundem Bathoreum etiam subsecuta expeditio, ita CLERVM ostendunt, in ea tota causa immunem, vt quod regeras invenire non possis. Cur alteram Bellicam expeditionem pro eodem Bathoreo factam non adnectis? Sciebas enim quo tunc Authore, PRÆDICANTE nimirum Varadiense Stephano Decio, quibus executoribus, Calvinistis certè non Catholicis hominibus, Ioanne Szilasi, & Gregorio Ladany, Haidonum Capitaneis, fuerit Varadini crudelissimè enecatus. Qui postea PRÆDICANS, sicut Amphitruoni, Pterela Rege obtruncato, patera donata est aurea, ita ab Andrea Geczi, Pollubro, Guttoque, argenteis, fertur honoratus, Capitanei verò in Transylvania ex Turre Civitatis Mediensis,

Querela fol. 10.

Plaut. in Amphitr: Actu primo

 diensis,

diensis,ab vltoribus Bathoreanæ mortis, præcipitati, frustillatim sunt dissecti; Geczius autem miserè confectus, vitam & proditiones clausit in Carceribus Fogarasiensibus.

Querela fol. 11. Tertium exemplum voluisti esse, coactum in Regno Hungariæ, à Domino Comite Georgio Druget de Homonna exercitum, quem, sicut & alios Viros magnos & Illustres, passim, vt potes, arrodis, sed nihil lædis. Tuum non est Bellorum causas disquirere, nisi velis, quod CLERI primoribus à te attributum videris invidere, nihil te & cæteris PRÆDICANTIBVS inconsultis agi in Hungaria, nulla Castra convocari. Intempestivus es ad consilia, si non vocere. An vos vicissim tunc armis omnia adversus illum non concitastis, non commiscuistis privatorum quorundam authoritate? Fatetur certè

Querela fol. 12. QVERELA Haidonum ejus temporis insurrectionem. Compone tempora & facta, & vel tam hos, quàm illum damnabis, vel excusabis vtrosque, cui in vtraque sententiâ, comprehensione. Certe Hommonnaianus Exercitus, neq; PRÆDICANTIVM aliquos tūc interfecit, neq; alia fecit, quæ jam vester, qui Belli initia à Sacerdotū & Martyrum cæde, & sanguine est auspicatus.

Et quamvis Viri Illustres, contra quos tam audax, tot convicijs criminaris, satis quisque, si nomen tuum non celes, si non lateas, sed luci te statuas, & de Belli causis, & de magnis, capitalibusq; convicijs, & criminationibus tuis, abundè, & fortassis tuo etiam magno malo, non quod à vi, sed quod à lege tibi inferant, respondeant, vt tamen pro illis, ego quoque pauca dicam; Georgius Homonnaj, & quæ ab antiquo Natalium splendore

dore decora accepit, & quæ vel naturæ suæ ingenita habet, vel quæ sua effecit, sicut à Cote ferrum lumen & acumen acquirit, flores si manibus terantur fiunt fragrantiores, ab igne aurum & alia metalla majorem capiunt bonitatis æstimationem, ita ex his tuis alijsque similibus scommatum ac calumniarum generibus, honorem, nomen, & famam Cœlo propinquiorem consequitur. Majora de illo judicia sunt, quibus ille meritò possit gloriari, quàm vt tua, atque tuo comparia, vel alicujus pensi faciat, vel vix appetat, vel minimum metuat. Petri Szokoly factam per illum captivitatem, Patriæ leges, Iudicum Regni ordinariorum sententia, & capitalis pœnæ executio, comprobarunt. Pacatæ Vxoris cohabitationi necquicquam à longè ficta dissidia intermisces; Falsi Evangelij prætextibus jura maritalia non conturbabis, ex bono marito, tantum Virum, delicatè mulierosum nunquam feceris. Liberi illorum suscepti, quos superstites habent, mutuum amorem contestantur; nihil est, quod in ipso arguat conjugalis fidei violationem, nisi tua & Complicum tuorum malitia, qui quorum Zelo ac opera fidem Catholicam incrementa sumere animadvertitis, eorum odio & invidia ita differimini, vt propè disrumpamini; Quod priusquam, merito vestro fiat, nec linguæ parcitis, nec calamo, maledicendo, & malèscribendo. Hinc perjurij, inconstantiæ, turbatorum, malefactorum, Patriæ vastatorum, nefandorum in Patriam facinorum, professorum hostium, Scurræ, proditorum, ignarorum, inertium, & alia in illos nomina evomitis. Quàm malè egerint, quod fingitis, quas pœnas promeriti sint, quas à lege illis nunquam infligitis, quàm sint *Querela fol 11, 12, 13, & alijs.*

acta, quæ nunquam acta, quàm dicta, quæ nec cogitata; & quidem hæc aliquando, sed sinè temporis memoria, alicubi, sed sine loci designatione, coram quibusdam, sed sine testium nominibus, & si quæ mala alia, & aliqua sint, ex vsu, consuetudine, & more, effrenis licentiæ, petulantiæ, & temeritatis mulierum, quasi de palma conviciorum decertantes, eorum omnium veneno inficere vultis Viros magnos, qui tamen contra Basiliscos quendam velut Clipeum, innocentiæ, & maximorum manifestorumque testimoniorum Speculum obvertunt.

Querela fol. 13. & 14 Andream Doczi, & Ladislaum Pethe, Viros hos quoque Illustres, & Illustri, neque vno, neque semel officio functos, ambos jam etiam vita, nihil tua convicia maculant, tales sordes, hæc Patriæ lumina non capiunt.

Querela fol. 15. & 20 Benedictum Pakaj, Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis Personalis præsentiæ in Iudicijs Locumtenentem, cui benè dixisse oportuerat, maledicendo abs te vellicatum, scurram ac veteratorem appellitas, homo compositissime, doctrinæ, morum, ac vocum festivitas, vsque ad Apollinis, & Minervæ, ac Gratiarum scilicet invidentiam. Sed qui ille talis? Quo argumento? Quo judicio? Quo teste? Tu argumentaris, tu judicas, tu testaris, cum tamen illum non noveris. Non novisse sic convinco. Scribis illum, Consiliarium Cameræ Hungaricæ. Neq; est, neque vnquã fuit. Qui scias de illo cætera, qui rem tam manifestam ignores? Notum enim per totam prope Hungariam, qui sint Cameræ Hungaricæ Consiliarij, certè apud viros magnos non ignotum,

neque

neque te ignorare oportuit, qui mores illius, de quo ſcribis, imò & affectus atque inclinationes pernoviſſe vis videri. Neſcis itaque de quo, vel quid ſcribas, & tamen ſcribis, quod neſcis. Magnum ſapientiæ argumentum, magnum veritatis, ſi neſcire ſapientia eſt, ſi rē aliter eſſe ac ſcribitur, veritas eſt ſcriptionis. Ex vngue Leonem, te ex tua, & hac, & reliqua ſcriptione, falſum & fallentem. Et majora ſunt in illo Viro argumenta, contra quæ tu calumniari comproberis, quàm vt illis contrarium probes, non dico certis rationibus, ſed vel ſola conjectura. Mores in illo probi, quibus inſunt comitas, & gravitas, humilitate temperata; Eruditio longè major, quam vt Anonymo Cenſori, vel ſimilibus, vel etiam multo te majoribus poſſit invidere. Experientia verò magnis ſæpè functionibus collecta, ad eum vſque prudentiæ cumulum, ex quo theſauri optimorum conſiliorum depromuntur, vt rectè illum, moribus, eruditione, & experientia, magnum, & integrum Virum voces, ſi rectè voces. Sed quid Solem oſtendo in meridie, majori ſunt hæc approbata calculo, quàm cui PRÆDICANTICUM argumentum, judicium, & teſtimonium poſſit æquipollere. A quo, à te ſcilicet, alijs quoque convicijs & agnominationibus indignè haberi, laudi eſt, non vituperio. Neq; prudens quiſpiam credat, qui illum noverit, quod tu illi affingis, ad nutum ſe ac voluntatem hujus vel illius magis, quàm ad veritatem, ſcriptas Regni leges, debitam Regi fidelitatem, & Patriæ commoda, non dico obſtrinxiſſe, ſed ne accommodaſſe quidem, ita in omni actione conſtans, ita ſemper ſui ſimilis, ita ille poſthabet honeſto vtilitatem. Multa in hæc pauca conferam:

Quem Romanus Imperator, Summates Viri, constans fama, ad publica, magnum ferunt, qui illum imminuat vulgaris calumniator? Cujus officio invideas licet, & meritò tamen, & ita illi à Sacra Cæsarea Regiaq; Majestate Matthiæ Secundi, ex consilio videlicet Hungarico, quod illi ante omnes alios & quidem non petenti, imò neque scienti, vel expectanti, sponte suffragari voluit, oblatum collatumq; est, sicut in Comitijs generalibus Anni 1608. * lege decretum reperies.

* Articulorum Poson. Anni 1608. ante coronat. Artic. 3.

Et mirum, cur ne ab illis quidem linguas & calamos vestros abstineatis, qui Religionis professione vestri sunt, Regi tamen fidem præstiterunt, Patriæ legibus observantiam, amicitiam Catholicis. Quod enim in CLERVM, atque alios Viros Catholicos, tam acerbè mordacem te exhibeas; à Zelo illorum in fide erga DEVM, & Regem, non datas, sed acceptas calumniandi occasiones, & causas, figmentorum architectus confecisti. † Sed Dominum Paulum Apponyi, Augustanæ Confessionis hominem, cur rerum Hungaricarum prorsus ignarum, cur inertem scripsisti, quem & genere, & animo nobilem, & dignitate Magnatem esse nôveras, & quem multi, & magni Viri, & gnarum, & solertem, & amantẽ Patriæ Civem sunt experti? Cur Andream Lonyai, Virum Militarem, & Nobilẽ, cõvicijs tuis proscissum, nefandorum facinorum reum inclamasti? Iterum dictum habe, si tu te ex angulis, in quibus lates, in apertum proferas, & quæ scripsisti, recipias probaturum, cum probare nequeas, & hi, & alij, quos famosissimos † Proditores, & quidem homines, qui omnes à nobis

Querela fol.14.

Querela fol. 11.

† Querela fol.13.

religione

religione dissentiunt, cognominas, vitam forcassis tuam, facti honoris viâ ac causâ exterminabunt.

Quartum exemplum tuum est, Miles, inscio Regno, ex Hungaria, & Confinijs, contra Bohemos confœderatos eductus, & coactus militare. *Querela fol. 13.*

Certum est, Regibus quibusdam Hungariæ, cum Bohemiæ Regibus, veterem Confœderationem intercessisse, Carolus enim quondam Rex noster, cum Ioanne Bohemiæ, datis primis literis icti fœderis Tyrnaviæ Anno 1327, alijs in Alto Castro Dominico die, qui Festum Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis antecessit Anni 1335, Ludovicus itidem noster, cum Carolo Romanorum, Matthias quoque Corvinus* cum Georgio Pogiebrachio Socero suo, Bohemiæ Regibus fœderatam societatem pacti sunt, recentem quæ ætati ac memoriæ nostræ inciderit, Tabulisque Regni insertam habeamus, nullam inierunt; Quam vero cum vtraque Austria & Moravia habent Hungari, illam etiam ex consensu Regiæ Majestatis contractam, Patria Lex contestatur, quæ his verbis habetur expressa; *Confœderationes cum vtraque Austria & Moravia, ex consensu Regiæ Majestatis factæ, de quibus literæ authenticæ ab vtraque parte habentur, maneant in suo vigore, & perpetuò inviolabiliter vltro citroque observentur.* Ex quibus evidenter constat, Reges ipsos, sive, capita Regnorum atque Provinciarum, fœderis vnionem injuisse, aut certe nunquam populos sine Regibus, & Dominis ipsorum, aut absque Principum authoritate. Et singulariter cum eundem Hungari Regem, quem Austriaci Archiducem, & Moravi Marchionem, conciliati fœderis atque societatis tempore, Matthiam Imperatorem habuerint,

** Bonfin. Rerũ Hung Decade 3. lib. 9.*

Vide Comitia generalia Poson. Anni 1609. Artic. 42.

cujus

cujus consensus atque authoritatis interventu mutua amicitiæ jura firmaverunt, quid hac luce clarius, quàm non eo, vel titulo, vel tenore, vel pondere, vel conditione id factum, neque ita comparatam vnquam Hungarorum cum Austriacis & Moravis, & vt ante patuit, etiam cum Bohemis, societatem atque amicitiam, vt Hungaria privatorum quorundam hominum cupiditati, contra publici juris æquitatem deserviat, contra Regem, & magnam fœderatorum Regnorum & Provinciarum, principalioremque partem, parti alteri armorum auxilia conferat, illam premat, vt hanc erigat, occupandi Iuris Regij, & Regem Regno & Provincijs exuendi, armisque & alijs injurijs lacessendi aliquorum subditorum audaciam promoveat? Hujus generis enim Confœderatio non Regum & Principum, neque Regnorum & Provinciarum, neq; Hungariæ cum Bohemia, Austria, & Moravia, sed cum quibusdam tãtum Bohemis, Austriacis, & Moravis, icto fœdere cõpacta societas, & cõspiratio sicut esset, ita etiã deberet haberi, & nominari apud omnes.

* Objectio. * Si dicas, Bohemiam, Austriam, Moraviam, esse illos Status & Ordines, qui nuperis, id est Anni 1619. Comitijs, quibus absente Regia Majestate, sed illa consentiente, & indulgente, ac largiente plenipotentiam, D. Palatinus Posonij, Mensibus, Iunio, & Iulio, celebratis, præsederat, Confœderationem Hungaricam ambiverant.

† Responsio. † Ego verò dico, & quidem ad rem ac legem rectius, illos solos neque Bohemiam, Austriam, & Moraviam esse, neque Status & Ordines. Qui enim Regem Bohemiæ rite electum atque coronatum excludas? Qui Archiduces Austriæ, qui Moraviæ Marchionem? Qui alios Bohemos

hemos

hemos, Auſtriacos, & Moravos, quibus illi perſequendis armati Rempublicam perturbarunt? Non minus hi, quàm illi, ex Statibus ſunt atque Ordinibus, neque iſti vel initam reſciderunt Confœderationem, ſed obſervarunt quàm illi religioſius, neque ineundam impedirent, ſi vel ad veterem formam fieret, vel etiam ad novam, ex Regis tamen ac legum authoritate, generalique omnium Statuum & Ordinum approbatione. Si itaque vel nova concilianda, vel antiqua novis pactis confirmanda eſſet, cur cum illis magis in iſtorum perniciem, quàm cum iſtis, ad propulſandam illorum vim ac violentiam, id faciendum? Et ad rem quidem illi ſuam, antea icti fœderis cum Hungaris renovationem poſtulabant, ſub hoc enim renovationis titulo, novum omnino paciſci gerebant in animo, quo vel vires augere, vel fractas redintegrare poſſent, contra Regem Bohemiæ; jam etiam Imperatorem Auguſtum Secundum hujus nominis FERDINANDVM, & Bohemos, ac Moravos, Auſtriacoſque, multis nominibus illis potiores. Et quid juvat, (imò dedecet Virum bonum) in vero falſi palpum cuiquam obtrudere, & Lectorum animos atque ora fabrefactis fraudibus oblinire? Nemini appalpor, nihil celo; multarum & maximarum machinarum molem, quæ vel ipſis Architectis, non vno jam modo gravis eſſe cepit, & moleſto oneri, & quam non tam fert, quam ſub illa animam paulò poſt exprimendam atque excludendam agit, & vix jam trahit Hungaria; qui primò quidem animo conceptam, poſtea etiam infœlici operi deſtinarunt, id ſibi propoſitum defixerunt; vt id ab omnibus Hungaris, honeſto Confœderationis nomine poſtu-

 larent,

ctum, cujus læsæ Majestatis tot vicibus reus es, sed & in Legumlatores, hoc est in alios etiam Reges, quos olim habuimus, & Status ac Ordines, qui illas tulerũt, magnâ illorum injuriâ, hominem privatum, contra jura publica, & quæ benè sancita ac firma sunt, malè rescindere & infirmare conantem, capitaliter delinquere?

Præterea, vltimis Regni Comitijs Anni 1619, de quibus paulo ante memini, Austriacis & Moravis, reductionem Hungarorum Militum ex Austria & Moravia in Hungariam, per eorum Ablegatos petentibus, an à Statibus & Ordinibus responsum non fuit, liberum fuisse Majestati Regiæ, Militem in Regno suo ære conductum, etiam educere? Responsum certe. Si tunc, & ab illis ad legum id normam licuisse existimatum, & † leges extant, quæ ne secus quidem illos arbitrari permisissent, qui tibi in mentem venit, vt hæc CLERO adscriberes? qui, vt cõtradiceres Statibus & Ordinibus & Statutorum quoque ac legum firmamentis?

† *Articuli proximè citati.*

Querela fol. 13.

Hungaros etiam in Bohemia militare coactos necquicquam commentaris, sponte enim eò iverant, vbi cum jam fuerant, nescio quidnam aliud egissent, quàm exercitia Militiæ. A qua, Superioribus quidem inscijs, neque decebat, neque debebant, neque jure poterant se exolvere.

Querela fol. 14.

Quintum exemplum est, de Sexaginta Pagis Turcæ dedititijs, & Palancis, quibus suas in Hungaria Superiore sedes, Haidones circumdederunt, vel circumsepiverunt potius, demoliendis, & de magno illo, & sanctæ memoriæ Francisco Forgacs Archiepiscopo & Cardinale Strigoniense, quod etiam ad contrahendam cumulandamque

que in CLERVM, majorem ac majorem invidiam, adnectis. Sed non ita est, Cardinalem huic rei vllomodo Authorem extitisse, verum testibus etiam adversæ Religionis hominibus, & quidem Viris magnis, etiam loco, vbi de Pagis illis tractabatur, donec multis modis retentus ægerrime permaneret, abire volentem, & collachrymantem, necessitati cessisse. Quam cedendi necessitatem, & ipsi, & ijs, qui cum ipso erant, sicut ex præmissis conclusio consequitur, ita Tractatus cum Turcis, ad Situæ & Danubij Fluviorum concursum, vicennali paci conciliandæ, à Stephano Illyeshazi, & Georgio Thurzo, ambobus postea successive Palatinis, habitus, & quidem taliter peperit, vt ægre admodum hic numerus deditorum Pagorum, multo majorem, quem Turcæ ex illo Tractatu prætendebant dedendorum numerum, redemerit. Ex quo, nihil Cardinali merito imputaveris, qui, quod illi, quos jam & quo loci dixi, non animadversa literarum Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis, & Turcicarum, quibus vtrisq; pacis firmatæ conditiones continebantur, discrepantia, concluserant, quominus executioni daretur, vrgentibus Legatis Turcicis, & supplicantibus etiam Hungaris, vt avertendis à cervice ipsorum quotidianis excursionibus, & redimendo majori malo, Turcis; promissa ex ante dicto Tractatu & pacto, satisfactio impenderetur, in totum impedire, ac prohibere non potuit. Qua in re longus esse nolo, ita enim illa in Libello cui Titulus, *FALSÆ ORIGINIS MOTVVM HVNGARICORVM SVCCINCTA REFVTATIO*, examussim tractata est, vt ad oculos plane omnibus

Editus Anno 1619.

omnibus pateat, si quid culpæ cuipiam ob Pagos illos tribuendum sit, id per omnia pacis ad Situam tractatoribus, non tractationis illius executoribus adhærere, neque Palatinum, qui Tractator antea extiterat, si ad ea, quæ ille concluserat, animo, memoria, promisso, & literis revocaretur, minore dispendio id quod promiserat executurum fuisse, quàm eos, qui, quantum quidem ad ipsorum personas, ab omni tali promissione erant immunes, & tantum aliorum inadvertentiæ, minimo quo potuerunt damno, & multis alijs Pagis in lucrum numeratis, ac reservatis, remedium ac temperamentum adhibuerunt. Vnde liquet, quàm illud quoque vanum sit, quod Pagos illos Sexaginta, nescio cujus facilioris inter Turcas, Catholicorum, quam Lutherocalvinistarum commeatus, ac negotiationis precium, PRÆDICANS posueris, vt eo quoque, figmentorum tuorum telam, vel rete, quasi aucupio capiendis Catholicis exorsus, pendentibus alijs ex alijs calumniarum filis, tam longe quàm habes, contexeres, sicut & alijs vocando CLERO in odium apud Haidones; quorum Palancis, & sedibus, intactè, ab Hoste, vna cum ipsis, ipsorumque Bonis, & fortunis conservandis, vbi locus, tempus, res, & oportunitas tulerunt, plus operæ insumpsit CLERVS, quàm vt ab Haidonibus odium promereatur, si illi animum ad rem advertant, non ad figmenta PRÆDICANTIVM. *Querelæ fol. 17.* *Querelæ fol. 14.*

Sextum exemplum à Patribus Societatis IESV desumptum habes, qui trabes sunt in oculis & tuis, & omnium PRÆDICANTIVM, in quos Regno Hungariæ prorsus eijciendos, desudantem industriam, & summam quam potestis operam collocatis. Sed quo id jure *Querelæ fol. 17.*

 volunt

volunt alij: quo tu Prædicans? Divino, an humano? Divini mentionem non facis, * humanum vrges, Hungaricum, Viennæ cum Rudolpho Imperatore, per Matthiam tunc Archiducem, † Regio & pacificationis nomine ac robore contractum, quod ab eodem postea Matthia, cum in Regem Hungariæ coronaretur, in Comitijs Posonienſibus, * pro lege admiſſum eſt, & cõfirmatum. Verùm, ſi nec per illos, nec alios, nec tunc, nec alias, nec ibi, nec alibi, quidpiam hujuſmodi, ſed diverſum, quin contrarium conſtitutum oſtendatur, oſtendetur eâdem operâ vos, qui omni jure veſtri excuſandi, & accuſandi alios, deſtituimini, jura in injurijs quærere, nodum in ſcirpo, in nocte Solem, & hæc veſtra verba, quæ non tam dicuntur quàm erumpunt, paria eſſe cibis prius egeſtis, quàm intus digerantur. Malus ſtomachus vel à bono cibo nauſeat; Ægro palato etiam mella amareſcunt. Animus, quem vitia occupant, reſiſtit virtutibus. Sic eſtis vos Prædicantes, ſic ſcribitis, ſic ab animis ægroti, non ſolum renuitis ac reſpuitis, ſed & maledictis inceſſitis, perſequimini, proſcribitis, Medicos & Medicinas, non quia illos ignorantes ac inexpertes, iſtas malas ac nocentes, vel intelligatis, vel evincatis rationibus, ſed quia ſic vultis, ſic jubetis, & cum dictis ac factis arma ſuppetant, liberè loquimini, & ſcribitis. Nobis à ratione victoria ſemper in promptu eſt; ſic eſt humanius decertare, quàm effundere iracundiam, infamante ſeu lingua, ſeu calamo, & in turbarum ac tumultuum commotionibus, cauſarum præſidia ſtatuere, quod tantum abeſt ab ingenuitate, quantum à ratione furor, & ita commune minorum gentium & conditionum

* Querela fol. 17.

† Pacifica. Viennẽ. Anni 1606. Art. 8.

* Articulorum Anni 1608. Art. 8.

num hominibus, vt nemini vnquam magno Viro laudem attulerit, ſed abſtulerit potius.

Scimus quid cauſæ ſit, cur vos extrema arte, omnibus conſilijs, viribus, & armis, Regno pellendos Ieſuitas contendatis, deſudetis; cauſam dixi, non quam legibus & æquitati conformem habeatis, ſed quæ veſtræ intentioni, & cogitationum ſcopo, ante omnia deſerviat. Malus conatuum fluxus, ſive à fonte, vnde prorumpit, ſive ab alueo, vbi decurrit, ſive à voragine, quò incurrit in æternum abſorbendus. Huic tamen in vniverſum malo, ad imitationem boni coloris, fucus quidam illitus, animos ſimplices ac incautos ludificatur, hoc eſt, ne multis modis malè agere animadvertamini, qui malè procuratis optimorum Patrum à Regno abſentiam, impotentis animi odio, honeſtæ rationis nomen ac velum, tanquam Lupo Agninam pellem induitis, vt in rem veſtram aptè peragatis Bacchanal, & à multa ſtrage Tragœdiam. En prætenſam cauſam, mali fucum, odij velamentum à rationis nomine mutuatum, Ovilia in Lupo vellera: *Ieſuitæ magna incommoda Regno important, politias rectè ordinatas labefactant, & alioquin quieta etiam & ad pacem inclinata ingenia, ad rixas & Bellum, juxta antiquum ſuum morem irritant, & provocant, aſtutiâ & verſutiâ perniciem & interitum Regno adferunt,* Vnde *Articulo & concluſione Viennenſi, eò tendebant Regnicolæ, ne eiſdem etiam habitandi locus, in Regno Hungariæ permittatur.* Querela fol. 17. & 18

Hæc de Ieſuitis dixiſſe ſatis eſt, credi vobis vultis, nihil omnino probatis, niſi quod nihil poſſitis probare. Si qui verbis non credunt, quæ mera verba ſunt, non quia odio vacua, ſed quia ratione, multa vi coguntur, cui in-

terdum

terdum aliqui, quia obluctari non audent, cedunt, non tamen fidem habent falsitati, quàm vicissim falsitati innixam vident. Ista enim de Iesuitis calumnia, ab aliâ itidem calumniâ ortum ducit, ab eâ scilicet, quam verbo DEI faciūt, Lutherani & Calvinistæ PRÆDICANTES. Hanc cum Iesuitæ ex verbo DEI retundant, & PRÆDICANTES, Magistros falsarios esse convincant, & tales habendos persuadeant veritatis Amatoribus, Scholas quasi Emporia honestatis, & optimarum disciplinarum habeant, quas apud illos Iuventus, suavi cum gustu & voluptate vbertim hauriendo, sterilescenti Hungariæ, velut amicum Imbrem, benigno ac favente Sole depluat, vt illa in veterem fœcunditatem reducta, & quasi renata, amplissimos fructus non proferat tantum, sed & profundat, quod præclaros operarios educando instruant, qui ex Vinea Domini, ac terræ jugeribus, sentes, spinas, tribulos, vepres, ac Lappas, & id genus alia, & inutilia, & noxia herbarum genera, vel demetant, ne succrescant, vel evellant, ne pullulent, qui omnem culturam adhibeant, æterno & impensi laboris precio, & ingenti Vuarum ac Tritici fœnore abundantissimam; * Inimicos homines omni virtute ac viribus abarceant, illos nimirum qui abscindendis à vera vite palmitibus, Zizanijs superseminandis, & spinis interijciendis, quibus Triticum suffocatur, conductam operam, Amicorum DEI supremo Inimico locaverunt. Hos Iesuitarum labores, hos sudores, quibus in opus tam pium, atque sanctum, & ætatem, & vitam impendunt, mali operis, incommodorum, rixarum, irritamentorum ad Bella, astutiæ, versutiæ, perniciei, & interitus nominibus

* Matth. cap. 13. v. 28.

bus dehoneſtatis, & illos tantorum malorum Authores confingitis, pacem clamatis, † quam Chriſtus in terram mittere non venit, hoc eſt, nullo Catholicorum ſe ſe vobis obvertente, Eccleſiam DEI devaſtandi impunitatem. Obijciunt ſe, bonâ causâ, virili ac audenti pectore Ieſuitæ, precibus ad DEUM in Collegijs & Oratorijs illorum, lectionibus, & alijs literarijs, & pijs exercitijs ad Iuventutem in Scholis, concionibus ad populum in Templis, Scripta vulgant fidelibus confirmandis, revocandis ab errore Adverſarijs, qui ſi tuendæ falſitati quidpiam vnquam reſcribant, vix illud prodijt, illicò refutatum redditur à Ieſuitis, donec intra limites ſilentij erroris patrocinium recondatur. In ſummâ, quà in vniverſum poſſunt, Lutherano & Calviniſtico veneno, antidotum parant & opponunt Ieſuitæ, illudque infectis præbent, quo ſanentur, ſed etiam ſanis, quo præſervati non inficiantur. Et quoniam, optimum hoc ipſorum inſtitutum, ac diligentia, DEO illam adjuvante ac proſequente, operæ precio non fraudatur, & quàm iſti vtiliter pro veritate, tam Adverſarij contra illam fruſtra adnituntur, turbantur animis PRÆDICANTES, inimicitias concipiunt, odia cumulant, diſſenſiones ac diſſidia, & ab acie argumentorum, quibus ſemper vincuntur, ad armorum aciem, quibus ſe victores fore ſperant, confugiunt. His oppugnant fidem Catholicam, his Regem, his Iura Patriæ, his leges, & Majorum Inſtituta, his omnem omnium hominum Statum, qui ab eorundem Adverſariorum ſeditionibus abhorreant. Sic ſunt ſcilicet, mali operis, incommodorum, rixarum, irritamentorum ad Bella, perniciei, & interitus Hungariæ

† Matth. 10 v. 34.

causa, sic astuti, sic versuti Iesuitæ; liberè dixerim, si sic essent, vt sunt omnium horum Authores PRÆDICANTES, non humano tantum, sed & Divino jure, procul essent ab Hungariâ avertendi.

Ius Hungaricum quod tam ampliter vrges, propius & penicius videamus.

Anno Domini 1604. Cum ante Annos aliquot, Antesignano Stephano Bocskaj, de quo plura superius, nõ absimiles istis motus, agitarent, vexarent, & ima summis, magnâ multorum clade, vertendo, affligerent Hungariam, quibus etiam, quod jam valde familiare est apud Adversarios, Religionis causa obtenderetur, suggillatione ac suggestione PRÆDICANTICA, auctum odium, & singularis in CLERVM, & Iesuitas, concitata persecutio. His motibus componendis, conventum est Viennæ, tam ab eorum quibusdam, qui Cæsareas atque Regias partes nunquam deserverant, quàm ab alijs nonnullis, qui se se, Bocskaio adhærentes, in illas turbas conjecerant. Publico vtrinque nomine actum de pace. Inter cætera, ab ijs, qui Religioni Catholicæ adversabantur, id impensè postulatum, & tandem impetratum est, vt hic de Iesuitis Articulus, qui in ordine octavus est, pacis conciliatæ legibus, ac conditionibus, insereretur.

Anno 1606.

Pacificatio Viennen. Art. 8. *Hungari non consentiunt, quod Iesuitæ in Regno Hungariæ, jura stabilia & possessiones habeant, & possideant. Sua tamen Majestas juribus suis Regijs inhæret, quoad clausulas Donationalium, fiant Donationes juxta Decreta Regni & more antiquitus solito.*

Hic postea Articulus, illa ipsâ generali Statuum & Ordinum Posonium congregatione, in qua Matthias Impe-

Imperator jam defunctus, in Regem Hungariæ electus atque coronatus est, conditorum vicissim Articulorum, quibus Viennenses constitutiones confirmabantur, octavo, his verbis insertus, & suo loco ac robore permanere jussus est.

Ad octavum: Hic quoq; Articulus de Iesuitis, in vigore suo permanet, nimirum, vt ipsi nulla in Regno Hungariæ Bona stabilia, & possessionaria habere, & possidere valeant. Articulorũ ãni 1608. Artic. 8.

Nihil amplius statutum, nihil relatum in leges de Iesuitis. Et cum his ipsis Articulis, ab Hungariâ non proscribantur, neque illis ibidem versandi libertas interdicatur, sed aperto potius verborum contextu, concedatur illos esse *in Regno Hungariæ*, aliàs enim, quicunque à Iurium stabilium possessione, lege Regni abarcentur in Hungariâ, proscripti intelligerentur, pius ille Franciscus Forgacs Cardinalis & Archiepiscopus Strigoniensis, Hospitio illos Tyrnaviensis Monasterij, quod Sacra Cæsarea Regiaque Majestas indulserat, sicut alterius loci Homonnæ, Comes Georgius Druget de Homonna, exceperunt, vbi Divino cultui, & proximorum saluti operas suas præstarent; quod cum fœliciter exequerentur, Lutheranismi Calvinismique Nundinationes, ac mercimonia, minoris esse cœperunt, Quæstusque PRÆDICANTIUM multo imminuti. Hoc incruento quidem vulnere, sed quod innoxio * nuper etiam Iesuitarum cruore Cassoviæ compensatum est, sauciavit corda Mercatorum; Addictos sibi adeunt, QVERELAS efferunt, media querunt, remedia afferunt, orant, obsecrant, obtestantur, minas si non adjuvent, præmia si subveniant, proponunt; A Iesuitis quietem ipsis non esse, Evan-

* Anno 1619 circa initium Septembr.

gelij scilicet cursum à Iesuitis intercipi, evidenti incremento Religionem Catholicam assurgere, palam provehi,& augeri viribus, vtramque verò Lutheranam nimirum & Calvinisticam, desidere, delitescere,& deficere,si eleventur, doctrinæ pondere deprimi,si exerantur, argumentorum vi repelli in angulos, si vires resumant, fortiore veritate enervari, sic paulatim Hungariam vniversam,eò vnde abjuerat, reversuram, ad veterem scilicet fidei Catholicæ possessionem, à nova titularis reformationis occupatione. Et quia veritatem veritate non oppugnari, sed defendi & cumulari animadvertunt,nova genera excogitant mendaciorum, quibus & bonam & malam causam velent, & abscondant,ne illam,quam eorum Auditores,ignoram, & traductam aversantur,si apertam,ac suâ pulchritudine amabilem videant, obvijs vlnis amplectantur; hanc, quam similiter ignotam,sed verborum amplitudine collaudatam,decepti cordis,aurium,& oris delicias, obstinato amore prosequuntur, si nudam, ac suâ deformitate horribilem conspiciant, averso vultu,repellentibus manibus, refugiant, Iesuitas, non tantum ob doctrinam, cui resistere non possunt, sed etiam ob calumnias, quas PRÆDICANTES in illos confingunt, in malorum suspicionem, & ardentius odium apud suos adducunt,illos,* nō veros Patriç Cives, Magnatum Hungarorum Lutheranorum & Calvinistarum irreverentes, animo erga eosdem alieno atque inimico,dies noctesque in ijs curis, ac cogitationibus totos esse, eam omnibus consilijsmetam posuisse, vt adversæ religionis hominibus,quantum possint, & obsint,& noceant.Hæc est prima ars decipiendi,in Paradyso inchoata,ma-

* *Vide Libellū Hung Anno 1618. editum,cujus Titulus est; Regest: Convicio-rum Petri Pazmany Iesuitæ, Author fertur Stephanus Milotai Prædicans Calvinista & Superintendens in Transylvania.*

ta,ma-

ta, malum bonum & bonum malum dicere, à Serpente prognatæ atque propagatæ lethali veneno prægnantes blanditiæ. Ex vero non nisi verum, in Philosophiâ, ex falso & verum & falsum. Si mendacia veri, sicut venena mellis admixtione non concinnarentur, quis hæc hauriret? quis adhiberet illis fidem? Verum est Iesuitis, sicut omnibus alijs Catholicis, nec in amore, nec in honore, nec in precio esse errores à fide, falsum autem & errantes, quos & amant, & honorant, & æstimant, pluris certè quàm ipsi PRÆDICANTES. Quid enim se strictis Religiosæ paupertatis angustijs arctant Iesuitæ, ex quibus genere multi Principes, plures Magnates, plurimi Nobiles, doctrina maximo itidem numero excellentes, vt vel Domi lautius viuere, vel omnes vitæ commoditates magis promereri, ac lucrari possint, quàm PRÆDICANTES? Cur ab illis abstinent, quæ Mundus inter prima appetit? Cur se voluntati, ac nutui, in vniversum attemperant, imò mancipant Superiorum? Cur pueros primum, adultos postea, ab ipsis elementis, ad supremas vsque disciplinas, informandi, docendique onera, & molestias, tam æquanimiter ferunt? Cur concionum, cur scriptionum, cum eâ salutis proximorum curâ & sollicitudine, quæ illos in itinera, per Terras, & Maria, ad Gentes barbaras, ad ipsos vsque Antipodas, sæpe in famem, in sitim, in nuditatem, & extremam egestatem, in tormenta, in Martyria conijcit? Errantium certe hæc amore, illorum honore, ac æstimatione geruntur, quibus Iesuitæ secundum DEVM, operas suas addixerunt, vt eos qui errare possent, in vero ac bono confirment, à falso & malo præservent, qui erraruntrevocentur. Quos vnquam Adversæ

Genes. cap. 3. v. 5.

Religionis summorum Virorum, sive linguæ, sive calami petulantia ita lacerarunt Iesuitæ, sicut vel solo duplicis Idiomatis Latini & Hungarici QVERELA HVNGARIÆ, nominis pasquillo maximos & Nobilissimos Catholicos, imò & Lutheranos & Calvinistas, & vivos & vita functos, PRÆDICANS, ex indice mali animi, cōviciante scilicet oratione, & ab opere, certe lituris magis delēdo, quā legendo, satis notus, & notatus proscidit? Convicia, convicia sunt, calumniæ calūniæ. Testes habemus insignes & magni nominis Viros, qui alienâ religione, sed non alieno animo se gerunt à Iesuitis, hoc est, nō tali, quali illos esse vellent PRÆDICANTES, averso, truculento, nihil familiari, parato ad maledicendum, & malefaciendum; qui filios suos curæ ac Magisterio Iesuitarum committunt, ex quorum educatione, & profectu, in literis, ac moribus, maximam consolationem capiunt, & præter laudes, quas educatoribus impertiunt, benè etiam illis, & precantur, & faciunt. Hi si Iesuitas tales experirentur, quales confinguntur à PRÆDICANTIBVS, neque laudibus illos ornarent, neque cumularent beneficijs, quæ dum præstant, aliter ac PRÆDICANTES de Iesuitis sentiunt, & hujus sensus edunt testimonia.

Revertor ad Ius Hungaricum, quod ex legibus Regni transcripsi, neque dubitatur ab vllo, qui illas aliquando oculis & lectioni subjecit, quibus si animis ac ratione insisterent PRÆDICANTES, nunquam essent Iuris Hungarici prætensione Authores, vel armis, vel aliter Iesuitas Regno exigendi. Ius Hungaricum decernit, non habenda, neque possidenda à Iesuitis Bona stabilia & pos-

Articuli supra citati Pacif. Vien.

& possessiones in Hungaria. Ita est: Ergo decernit ne hospitio quidem illos ibidem recipiendos. Hoc nego. Multis enim multa interdicta sunt in Hungaria, neque solis Iesuitis, sed & alijs Iurium & Bonorum stabilium ac possessionarium proprietas, multis obeunda quædam officiorum genera, quibus tamen in Hungaria, Terra, Aqua, Aere, Igne, Hospitio, conversatione, non est interdictum. Cum igitur plus in conclusione ponas argutator PRÆDICANS, quàm leges præmiserint, à Sophismate Sophista es, contra veritatem & Iesuitas.

8. Et Articulorum. Poson Anni 1608, Art. 8

Et certè longè alia est ratio, & tenor, aliæ etiam verborum clausulæ, legum, ac literarum, quibus personæ proscribuntur, ab illis, quibus eisdem personis, alicujus rei possessione, aut officio, interdicitur.

Non itaque Iesuitas, leges ablegant extra Hungariam, sed in Hungaria existentibus interdicunt Bonorum stabilium, & (vt leges nostræ loquuntur) possessionariorum proprietate. Aut si illud quoque legibus actum asseras, ne scilicet illis, etiam versari, vel vspiam in Hungaria habitare liceat, cur non profers leges, cur legibus arma præfertis, prius enim armis experimini, quod vultis, quam jure, imò jure nunquam, quia non jure vultis, sed injuriâ. Quapropter, cum lex nulla sit, quæ Iesuitas in Hungaria versari, habitare, docere, concionari, & id genus Sacri illius Ordinis exercitia peragere prohibeat, contra leges est quod vos postulatis PRÆDICANTES.

Obijcies Tyrnaviense, & Homonnense, Collegia, & quidem ea singulariter, quæ huic secundo, sustentandis *Obiectio.*

Patribus,

Patribus, Comes jam dictus Georgius Drugeth de Homonna attribuit, Bona stabilia esse, & possessiones, quibus, cum publico Regni decreto interdicti Iesuitæ, vti, frui, atque illa possidere præsumpserint, legibus illos adversatos, ac proinde privandos vtroque Collegio, & Bonis alteri adjunctis, quin etiam Regno proscribendos.

Responsio. Respondeo, Quid Iurium, Bonorum stabilium, & possessionariorum nomine veniat, constat ex Iure Hungarorum Tripartito, * certè Hospitia & Inquilinorum habitationes illis non comprehenduntur. Iam cum liberum sit legibus, Iesuitis in Hungaria versari, & habitare, nisi perpetuò sub dio, aut impluvio agere illos velitis, habitaculo opus est, in quod se recipiant, & vbi sanctæ vocationis officio perfungantur. Sic egerunt non integrum Quadriennium Tyrnaviæ, plures annos Homonnæ, donec armata ac exitialis persecutio eos excluderet, Hospitio scilicet vtroque in loco, excepti, ad inhabitandum, nullo autem dominij, vel proprietatis jure donati, ad possidendum.

* Tripart. parte prima, Tit. 44. & 133.

Obiectio. At proprietatem vrgebis PRÆDICANS; Quo argumento? Quia tot annis inhabitarunt, ædificarunt, Homonnæ etiam fructus possessionum perceperunt, servitia Rusticis mandarunt, & id genus alia, quæ dominij & proprietatis jura consequuntur.

Responsio. Non satis ad leges, nec ad vllam omnino rationem est hæc ratiocinatio; Ne enim jurium, dominij, & proprietatis disquisitione, nimium latè divagetur oratio: Sicut neq; Tyrnaviensi neque Homonnensi loco, occupatione vim fecerunt Iesuitæ, ita vtrumque alienâ authoritate adepti sunt, illum quidem Regia, hunc dicti

jam

jam Comitis Georgij. Extat Autographum Donationis Regiæ, defuncto Donatore MATTHIA Augusto; vivit Comes; illud videatur, audiatur iste; Ibi habitandi tantum in Ædibus, & in Templo Divina peragendi facultas, nullum dominium, nulla proprietas concessa reperitur. Itidem dedit & Comes, quod dedit, si enim aliter dedisset, Regni lege † ac Statuto, aviti juris in præjudicium factum, atque ideo irritum fuisset. Avitica enim Bona, qualia Homonnensia sunt, proprietatis donatione in alios, qui alij sint ab hæredibus, transferri ac abalienari non possunt. Neque satis solido judicio subnixus ille sit necesse est, qui existimet, tāti generis & animi Comitem, ita incertum pectore, & indigestum prudentia exprompsisse, vt quod jure donare non potuerit, illud juris injuriâ in dominium ac proprietatem cujuspiam tradere animum induxerit. In hoc itaque, adversum leges, boni, Imperator, & Comes, dando, Iesuitæ habitationem accipiendo, nihil peccaverunt.

† *Tripart. prima parte, Titulo 58.*

At Iesuitæ qui Homonnæ erant, vt dictum est, & Rusticis mandata dabant, & ab illis operas ac emolumenta exigebant, & nescio vnde Vinearum & Agriculturæ fructus capiebant. *Objectio.*

Rem sisto rationi. Si hæc fieri, id sit dominij ac proprietatis jura exequi, cedo, quid sit locato vti? quid commodato? Inquilini qui? Item qui Hospites, quibus loca vbi commorentur, servitia, vt commodum illis sit, alia vnde vivant, & amiciantur, ab eorum Domino, ad quos hæc omnia pertinent, & qui illos benignè habet, subministrantur? † Quod Theuropides ille, in astu fabricatas fa- *Responsio.*

* *Plautus in Mostell: Act. 5.* bulas, frangendæ Tranionis audaciæ, bene verum dixerat, neque hic male, vel abs re, vſurpandum; radicitus, imo eradicitus repertum, non quid ab Auguſto Matthia, aut à magno Comite, circa ea Beneficia, quæ Ieſuitis volentes contulerunt, culpæ admiſſum ſit, cum eo facto nihil hujuſmodi incurrerint, ſed quid illi, qui in eiſdem Beneficijs, dominij ac proprietatis jura, quaſi in Ieſuitas tranſcripta, tam ſagaciter ſcilicet perſcrutantur, graviter delinquant.

Certe, ſi Regias literas, quibus ſolâ habitatione, nulla verò Tyrnaviæ, dominij ac proprietatis poſſeſſione donati ſunt Ieſuitæ, produci ſibi petijſſent Adverſarij, voluntati illorum, quamvis curioſæ magis, quàm quæ ex authoritate proveniſſet (quæ enim illis ſolis authoritas illas exigendi?) ſatisfactum tamen omnino fuiſſet, dubium omne ſublatum ex illorum animis, & dominium ac proprietatem objectandi occaſio, vnius operæ ictu, amputata. Idem de alio Collegio, ſi vel à Comite reſciſſent, vel ſi id non dignati, Homonnaiani ſaltem & aviti juris conditionem, & ſtatum, maturiori conſiderationi ſubjeciſſent.

Addo; quemadmodum vnum aut duos, alij & alij Regni Magnates, ſpirituali ipſorum conſolationi, vſui, & neceſſitati, aluerunt, ita plures Tyrnaviæ plurium, ita Homonnæ Comitis eleemoſynis ſuſtentatos, ita ſervitia præſtita, ita alia ſubminiſtrata, ita habitacula, Scholas, Eccleſias, erectas, reſtauratas, ornatas. Hæc nullâ vnquam lege interdicta, rectè itaque facta ac liberè, ſi quàm per leges, tam etiam per PRÆDICANTES.

Amplius: Adverſarij licitum ſibi ducunt, alios Vit-

tenberga,

tenberga, Heidelberga alios, alios aliunde, vel lactucatos, vel qui copiosè implexis plicis, quasi vndantes, & largè manicatas, genibusque insultantes, latas, sed curtas vestes, vel qui talares, majore tamen panni parsimoniâ, colaribus à collo ad renes vsq; reversis, gestitent, Magistros doctrinæ ipsorum, quot, & quales volunt, sive Hungaros, sive Germanos in Hungaria natos, sive adscititios, tenere, alere, & audire, Catholicis ob id nihil tumultuantibus; quidni liceat & his Iesuitas? Quare itaque pacem tam funesto bello commutant Adversarij? Cur, sicut Sacerdotum nostrorum, ad ipsorum arbitratum alios retinendos, alios dimittendos, neque amplius recipiendos postulant, ita nolint vicissim ipsi, qui nobis displiceant ex ipsorum PRÆDICANTIBUS, alio amandare, nunquam reverti permittendos? Liceant illis omnia, quæ libent, nobis horum nihil, nisi quod illorum nec animos offendat, nec frontem contrahat, neque torvum operetur in oculis. Magnas profectò, sed sine authoritate conditas animorum, frontium, oculorumque leges, quibus quis dicat obsequi nos meritò debere? Quantum quidem in nobis est, nihil Adversarios offendimus, & tamen offenduntur, sic est; at non à nobis, sed vt Epictetus ille dixit, à semetipsis. Quid ita? Sicut enim omnia facilè mutant, ita rationis imperium in voluntatem transferunt, sic illa gubernaculo destituitur, hæc cæca est, quæ cum illius ductum non habeat, ab insolente ac indomita quot sensuum, imò si rectè fieret, mancipiorum familiâ, trahitur, truditur, illuditur; sic illa, vel vbi nihil * periculi est, quia non videt, timet, causas dolendi sibi facit, confingunt etiam seducentes animi affectiones, sic do- *Psalm. 13. v. 5.*

let, sic illam lingua lamentis, ô si lamentis tantum, sed & convicijs, & comminationibus, frons rugis, oculi denique & totus oris habitus torvitate consequuntur. Ratio, ratio desideratur in Adversarijs, ô si & ab ipsis; nos sumus, qui illam, & vt in ipsis regnet, optamus, & vt ad illam examinent, si quid delinquimus, rogamus, obsecramus, & obtestamur. Nihil impetramus, nisi hoc, quod omnino nolint Iesuitas in Hungariâ, vel Hospitio excipi, vel habitationis & conversationis vllius communione, vel eleemosynis Christianè haberi. Sed & aliud nolunt, fidem nimirum Catholicam in animis Christianorum conservari. An itaque alterum rectè, vel vtrumque? Neutrum certè, & tamen nolunt, non quidem à ratione, quâ inopem, vt jam patuit, & planè vacuam causam fovent, sed ab odio, quo divitem, & sine modo, sine lege erumpentem, rapidoque & rapaci fluxu, sacra & profana omnia transcurrentem. Huic itaque cum illorum non rationi, sed ab omni ratione toto Cœlo aberranti atque dissidenti odio, & voluntati, non consentimus, cum (quod magno Catholicorum probro faciunt, PRÆDICANTES, quasi verò ijs fidei & morum Magistris vtamur, eos veneremur, & observemus, qui inimicitias serant & dissensiones,) quæ Iesuitis objectant, comprobari petimus, & cum ne ad speciem quidem aliquid probent, quæ interdum etiam malæ causæ fucum facit, bona enim ab omni falsitatis pigmentorum aspersione abhorret, innocentes tamen exilio, quod Iurisperitis minorem capitis diminutionem placuit appellare, non damnamus, non mulctamus, non diminuimus, turbatores pacis proclamamur. Bellā scilicet pacem, quæ in innocentiæ,

imo

imò in ipsius pacis persecutione consistit. An nos pacis turbatores, qui non tantum innocentes, lege defendimus, sed ne nocentes quidem sine lege damnandos, neque hos, neque illos, vi, & armis invadendos censemus, vel Adversarij, qui sine lege, imò contra legem, Iesuitas, & toto Regno expellendos contendunt, & quidem nullius criminis convictos, nullo Patrio Iure, in Hungariâ versari ac habitare prohibitos, & qui illos expellant, spolient, trucident, concitarunt?

In legum observatione, velut in pulchra concordique Civilium membrorum harmonia, Reipublicæ pax atque tranquillitas consistit, hanc nos vrsimus, & vrgemus semper, sartam, tectamque custodiendam; Ex his depromenda essent adversus Iesuitas, reliquum CLERVM, & Catholicos argumenta, non ex odijs arma, ex furoribus rapinæ, incendia, quibus in vastitatem, & propè solitudinem vertistis Hungariam. Vnde non Iesuitæ, non CLERVS, neque alij Catholici, sed vos estis pacis turbatores, & pacis ex Hungaria exturbatores, PRÆDICANTES.

Et quo tu quæso indicio (nullo certe nisi vitio tuo) affirmas, traducendis hoc quoque Iesuitis, & Archiepiscopo Strigoniensi, hunc ab illis, & ab illorum Regula, cui (vt tu loqueris) *toto vitæ suæ tempore per strictissimum juramentum se obligaverat, defecisse?* Nec cui, nec quomodò se obligaverit novisti, nec quod defecerit probabis. Primum te docebo, quo secundum abs te probari impossibile esse, animadvertas. Non est verum, vel Archiepiscopum vnquam jurasse, vel jurare alios Iesuitas, nullo omnino ad Superiorum, & singulariter Summi Pontificis *Querela fol. 18.*

voluntatem, dispositionem, ac mandatum habito respe-
ctu; toto vitæ ipsorum tempore, sub Iesuitarum Regulis ætatem transigere, imò verò hoc, & valde solenniter jurant, ac vovent Iesuitæ, Summo se Pontifici obedientiam præstituros, quam etiam aliorum Ordinum professi religiosè observant. Si itaque Summus Pontifex, cui religiosa ab omnibus Regularibus obedientia debetur, quempiam ad statum perfectiorem, qualis est Episcopatus & Archiepiscopatus, respectu Ordinis Iesuitarum, & aliorum omnium, etiam strictioris Ordinis, ac regulæ observantium, assumere voluerit, sicut voluit Archiepiscopum Strigoniensem, non solum non deficit à Religione, sed & proficit in statu, neque juramento suo injurius est, sed talis esset, si Supremo Pastori non obtemperaret. Archiepiscopus itaque Strigoniensis, Apostolicâ jussione, de qua authenticarum literarum monumenta extant, ex Iesuitarum ordine assumptus, juramento obedientiæ satisfecit, ac proinde non defecit à Religione, imò verò si non obedivisset, violati se voti reum constituisset. Et quidem ad exemplum Sancti Stephani Regis Hungarorum, qui Sebastianum & Maurum, ex Ordine Sancti Benedicti, & Monasterio Sacri Montis Pannoniæ, qui à Divo Martino nomen habet, & ab Archiabbatia quoque locus est celeberrimus, Monachos, illum Archiepiscopatus Strigoniensis, hunc Quinqueecclesiensis Episcopatus olim dignitatibus affecerat, Matthias Secundus Rex Hungariæ, idemque Romanus Imperator, Petrum Pazmany ex Ordine Iesuitarum Strigoniensi Archiepiscopatu cohonestavit, vt tam Pontificis, quàm Cæsareæ & Regiæ Majestatis authoritate convictus, nec quid probes

S. Dionis. Areopag. cap. 5. Eccle siast. Hierarch. apud S. Thom. 2. secundæ q. 184. Art. 6. in Argum. Sed contra Et idem S. Thom. ibidem & eadem quæst. art. 7. in corp.

Bonfin Rer. Hung. Decade 2, lib. 1 Edit. Francofur. Anni 1581. fol. 177.

in hac causa, nec quo vani calumniatoris nomen evadas, vel habeas jam, vel inposterum invenias. Cætera quæ habes de Iustitiæ complemento, cui illud vnquam denegatum probabis? de neglectis aut dejectis officio Religionis vestræ hominibus, tam Heroicis, tam ab omni virtute præclaris; qui illi tam magni, tam Martiales? qui ita posthabiti? Qui Pontificij non tanti? Qui tã notati, tam rudes, tam imperiti, tam viles, melioribus vno religionis intuitu præpositi? De Donatione Regiâ, Quænam illa, in qua Templi jurisdictio reservata? Et si reservata est, cur id culpæ adscribis, & non potius legitimæ donantis potestati? An non in illius manu est, & quid donet, & quomodo? si est, cur Templi jurisdictionem non possit sibimet reservare? Si non est, & tamen donat, Bona in quibus talia Templa sunt constituta, jam illa non tam donat, quàm dare cogitur vel invitus. *Querela fol. 20. & 21.* *Querela fol. 21.*

De ijs qui per Pontificios, vel ex solis colloquijs apud Suam Majestatem in suspicionem trahuntur, vexantur per Fiscum; Qui illi susurrones? Qui illi, de quibus tam Sua Majestas, quàm delatores, & Fiscus, tam malè merentur? De Transylvaniæ ingressu; Qui ab illo tam arctè prohibiti? Et vtinam fuissent, aut si prohibiti sunt, abstinuissent, neque Regnum Hungariæ tantam cladem sensisset, neque Provinciæ Transylvaniæ tanta pericula imminerent. De ablegando CLERO, loco, officio, dignitate; PRÆDICANS ne Regia tibi jura vsurpaveris, ne Regibus præscripseris, ne legibus vim intuleris, ne Scripturas eò torseris, quò te torsisse æterna tormenta cogant pœnitere. Vetustiora sunt hæc, quàm quæ tu innoves, meliori formâ constituta, quàm quæ reformes. *Querela fol. 21.* *Querela fol. 22.*

mes. CLERVM, quem à Scriptura Sacra nihil avocavit, tu nihil ad illas revocas. Picarum ac Psittacorũ est, voces formare ab vsu, à consuetudine, à lingua, Hominis verò, & quidem humanè loquentis, à ratione.

* Matth. cap 20. v. 25. Luca ca. 22 v. 25. † Matth. 6. v. 24. Luca ca 16. v. 13. Querela fol. 22.

Illud quod ex Scripturis obijcis: * *Vos autem non sic.* Item; † *Nemo potest duobus Dominis servire,* vtrumque sanctum est, DEI est, Divinum est; sed quò tu dicta esse existimas, neutrum illuc esse referendum, te teste vel invito, sed victo à veritate convincam, vbi tua verba profana Sacris commixta posuero, quæ sic habes, *Deniq; vt CLERVS seu spirituales personæ, prorsus ne in minimo quidem se immisceant, negotijs, tractatibus, & actionibus polyticis, sæcularibus seu Civilibus, sed simpliciter curent spiritualia, quemadmodum Ministri Evangelici, juxta illud Christi; Vos autem non sic. Item: Nemo potest duobus Dominis servire; Et illud.*

Tu supplex ora tu protege tuq; labora,
Vel
Arma Miles tractet, curet sua Templa Sacerdos.

* Exod. Levit. Num. & Deuteron. per totum. † Num. ca. 16. à v. 31. vsq; ad 33. * Num. ca. 12. v. 10.

Audi PRÆDICANS, vna animi aure, quæ cum tacitus leges, duabus capitis auribus non hauries, si his Scripturæ verbis, quæ verbis citas non sensu, hoc prohibitum est CLERO, quod tu prohibitum asseris, vt prorsus *ne in minimo quidem se immisceat negotijs, tractatibus, & actionibus polyticis Sæcularibus seu Civilibus;* Quid fuit populum DEI à Moyse & Aarone Sacerdotibus * gubernari, quibus qui contradixerunt † Core, Dathan & Abiron, à Terrâ absorpti sunt, * Maria verò Soror Moy-

sis

ſis lepra caſtigata? Quæ illa verba Dathan & Abiron, quos Moyſes vocabat, contra eundem & Aaronem Sacerdotes? † *Non venimus; Numquid parum eſt tibi, quod eduxiſti nos de terra, quæ lacte & melle manabat, vt occideres in Deſerto, niſi & dominatus fueris noſtri? Revera induxiſti nos in Terram, quæ fluit rivis lactis & mellis, & dediſti nobis poſſeſſiones Agrorum & Vinearum? An & oculos noſtros vis eruere? Non venimus.* Quid de Eleazaro? † *Pro hoc* (id eſt Ioſue) *ſi quid agendum, Eleazar Sacerdos conſulat Dominum; Ad verbum ejus egredietur & ingredietur ipſe, & omnes filij Iſrael cum eo.* * Quid Sacerdotes à Ioſue Civitatibus donari, & has ab illis poſſideri? † Quid pecunias in Templis per Sacerdotes colligi? Quid de Samuele? *Congregati ergo univerſi Majores * natu Iſrael, venerunt ad Samuelem in Ramatha, dixeruntq; ei; Ecce tu ſenuiſti & filij tui non ambulant in vijs tuis, conſtitue nobis Regem vt judicet, ſicut & vniverſæ habent nationes.* † Quid Petrum & reliquos Apoſtolos precia Domorum & Agrorum curare & diſpenſare? * Quid Paulum Civis Romani jus obtendere? Quid Chriſtum † Sacerdotem Pontificem & Regem eſſe? Veniendum à veteribus ad recentia, à noſtris ad veſtros, à Sacerdotibus ad PRÆDICANTES. Quid poſt Lutherum & Calvinum, quorum & vivorum, ingenium, induſtria, & labor, & mortuorum, quæ eadem in libris eorundem ſuperſunt, non fidei tantum veteri & avitæ, ſed & Civili Reipublicæ in novam formam mutandæ, & olim addicta fuerant, & jam deſerviunt, † Paræo Heidelbergenſi Calviniſta Profeſſore teſte, Lutheranos PRÆDICANTES conſultores eſſe Principibus, circa Confœderationem, circa pacem & Bella? * Quid Ioannem Whitgiftum

† Num. ca. 16. v. 13. & 14.
† Num. ca. 27. v. 21.
* Ioſue ca. 21. v pluribus, per totum.
† 4 Reg ca. 12. v. pluribus.
* 1. Reg ca. 8. v 4.
† Act. cap. 4. & 5. pluribus v.
* Act. cap. 22 à v. 25. vsq; ad 29.
† Pſalm. 109. v 4. Habr: cap. 5. v. 10. Habr. cap. 6. v. 20. Matth. cap 2. v. 2. & 6.
† Paræus apud Adamum Contzen. lib. de vera pace cap. 6.
* Vide dedic. Epiſt. Thomæ Br a

dochij in oper. Theol. sive Antapol. Iuelli Calvin dicti Episcop. Sarisbur.

PRÆDICANTEM Calvinistam Anglum, Archiepiscopum Cantuariensem, totius Angliæ Primatem esse, & Elisabethæ quondam Angliæ Reginæ à consilijs? Quid Lucam Hodászi Hungarum, PRÆDICANTEM Debreczinensem, Anno 1607. in Villâ Iuancs, quò Valentinus Homonnai, & Franciscus Magocsi, & multi alij, Viri Nobiles, frequentes convenerant, in Comitatu Abavyvariensi, quid Petrum Alvinci Hungarum Transylvanum, PRÆDICANTEM Cassoviensem, ab hac ipsâ Civitate Anno 1619. in Comitatum Bihariensem ad oppida vsque, primò, Thelegd, postea Réu, tam hunc, quàm illum, cum Civili, politica, & sæculari, neutrum tamen cum pacata, sed vtrumque cum turbulenta legatione pervenire? Taceo alia exempla, si plura quis à me exigat, plurimorum enumeratione, neque labori parcam, neque calamo. Hoc tantum dico; Si *vos autem non sic*: Item: *Nemo potest duobus Dominis servire*, cur vos sic PRÆDICANTES? Item, Cur his deservitis? Solvite nodum hunc in rem vestram, solvetis & in nostram. Arctabo vos veritate. Cape rem & dictum ad rem PRÆDICANS: † *Reges Gentium dominantur eorum, vos autem non sic*: Non est CLERI, sed neque Imperatoris, neque Regum, neque aliorum Christianorum Principum, ita dominari, sicut Reges Gentium, de quibus Scriptura loquitur, dominantur; qui non tam à DEO concessum (permissum tamen) quàm à Tyrannide vsurpatum, jus Regium, prosequuntur. Hæc Tyrannis, vel fatente ipso * Calvino, verbis illis prohibetur. Illis vero: † *Nemo potest duobus Dominis servire*, id est, vt Chrysostomus loquitur, *contraria injungentibus*, * *concordia enim multos vnum facit.*

† Matth. c. 20. v. 25 & Luca ca. 22 v. 25.
* Calvin. lib. 4. Instit cap. vltimo § 26. apud Becan. De prim. Reg. Ang § 11.
† Matth. c. 6. v. 24. & Luca cap. 16. v. 13.
* S. Chrysost hom: in hunc locum

Certum

Certum enim est, pluribus Dominis sibi invicem subalternis, hoc est, quorum alius ab alio, & illi vicissim ab vno dependeant, neq; sibi invicem sint contrarij, servire hominem posse, ita † & divitias, & honores, & dignitates haberi, si in DEUM donatorem, à quo, * *omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum*, & in illum etiam, vt vltimum finem, imitatione Fluviorum, qui in Mare refluunt, vnde effluxerunt, referantur. Et quæro à vobis PRÆDICANTES, vel edere, bibere, amiciri, villas, domos, agros, vineas emere, possidere, vendere, & in alijs auctionari, legationibus fungi, Principum consilijs interesse, imò esse consultores, & quæ his annexa sunt, peragere, sunt negotia, tractatus, actiones, politica, Sæcularia & Civilia, vel simpliciter spiritualia? Si Sæcularia seu Civilia sunt, cur agitis? si agitis, cur in alijs damnatis? Quomodo sunt vera, quæ dicitis; *CLERUS seu spirituales personæ prorsus ne in minimo quidem se immisceant negotijs, tractatibus & actionibus politicis Sæcularibus & Civilibus, sed simpliciter curent spiritualia, quemadmodum Ministri Evangelici?* In hunc nempe modum simpliciter spiritualia curant Ministri Evangelici, & prorsus se, ne in minimo quidem immiscent negotijs, tractatibus & actionibus sæcularibus: Bellum sane modum spiritualem. Si hic simpliciter spiritualis, quis alius simpliciter non spiritualis? Si quæ enumeravi simpliciter spiritualia sunt, quæ alia Civilia? vel cur magis illa Civilia quam ista? *Vos autem non sic.* Item: *Nemo potest duobus Dominis servire*, PRÆDICANTES.

† Vide Bedã in hunc locum.

* Iacobi ca. 1. v. 17.

Querela fol. 22.

Accipe plura: Christi sunt hæc ad Discipulos: † *Vos vocatis me Magister & Domine, & benè dicitis, sum etenim*

† Ioan. cap. 13. v. 13.

Matth.c.20.v.28. enim. Alibi. * *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Idem Christus mandavit Asinum solvi & adduci, † *Dominus* (inquiens) *his opus habet.* * *Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de Templo, oves quoq; & Boves, & Nummulariorum æs effudit, & mensas subvertit:* Nuptijs interfuit, † Aquam in Vinum mutavit, donavit Vinum; Et tamen dixit; * *Regnum meum non est de hoc Mundo.* Rem hic quoque habes, si ingenium habeas, quo Scripturâ Sacrâ non abutare. Et collige animum PRÆDICANS: Non sunt multi vestrorum qui possessiones habeant, qui aurum, qui argentum, qui aliam & quidem multam supellectilem? Sunt aliqui PRÆDICANTIUM, quibus si hæc offerantur, non accepterint? Qui illorum, quando, & vbi detrectarunt Civilibus negotijs si adhiberentur interesse? imò intersunt, & præsunt, vbi possunt, quàm libentissimè. *Vos autem non sic.* Item; *Nemo potest duobus Dominis servire.* † *Nolite possidere aurum neq; argentum, neq; pecuniam in Zonis vestris, neq; peram in via, neq; duas tunicas, neq; calceamenta, neq; virgam.* Vos possidetis aurum, & argentum, & pecuniam in Zonis vestris, & peras in via, imò vbi modus est, onustos currus alimentorum aliarumque rerum abundantiâ. Quot potestis, & tunicas, & alia vestimentorum genera, pro vobis, pro vxoribus, filijs & filiabus vestris, sæpe non ad commoditatem tantum, sed etiam ad luxum, & pompam providetis, similiter & calceamenta; Neque solum Virgas, sed Fustes, Baculos, Secures, Acinaces, & Tormenta manuaria, in itineribus gestitatis. *Vos autem non sic,* Item: *Nemo potest duobus Dominis servire.* Scimus ex Apostolo eos * *qui emunt tanquam non possidentes, & qui vtuntur hoc Mundo, tan-*

Marginal notes: † Matth.c.21.v.2 & 3. * Ioan.cap.2.v.15. † Ioan cap.2.v.9. * Ioan.cap.18.v.36. † Matth.c.10.v.9. * 1 Corinth cap.7.v.31.

do, tanquam non vtantur, non peccare. Qui servos habet Dominus est, mandare illis potest, sed prius in ipso dominia, prius imperia, vim ac efficaciam habere debent, quàm illa derivet in suos. Certe Servis & Ancillis abundant plerique PRÆDICANTIUM, Domini itaque sunt illorum. Si igitur CLERUS sic habeat quæ habet, quasi non habeat; si Bona multa quæ peritura sunt, possideat, & ab illis non possideatur, si divitiæ quas Arca recipit, animum non decipiant, si Dominum habeant, non dominentur, si inter Sæculares Sæcularia, inter politicos & Cives, politica & Civilia ita tractet, vt spiritu, & amore erga DEUM, & proximum, omnes suas actiones, quodam quasi termino, scopo, pondere, & perpendiculo metiatur, spiritualis est CLERUS, Ecclesiastici spirituales sunt personæ, & rectè atque ex sententiâ Christi, de semetipsis possunt dicere: *Nos autem non sic vt Reges Gentium, vel vt Gentes.* Item: *Nos duobus Dominis non servimus.*

Sua quoque Templa curant Sacerdotes, si inermes à ferro, fortes verò à gratia DEI curas illorum, vestris Armis, vt jam soletis, non intervertatis. † In quo abs te *Querela fol. 22.* citato versu, in vocabulo Miles, priorem syllabam contra prosodiam corripuisti; Error est Grammaticus, si tamen Militem quem produxisti, totum corripias, & sic ab errore verbi, ad emendationem facti progrediare, meritum erit Theologicum.

Certè à maximo convicio, gravissimum illud quoque delictum est, quod tamen tibi facillimè ab animo, in linguam, & calamum defluxit, quo vniversum Statum Catholicum, latronum & persecutorum Christi, ejusque *Querela fol. 22.*

Evangelij, fautorem & promotorem calumniaris. Sed nec in hoc recedis à tuo instituto, Prædicans, qui enim, etiam Scripturâ Sacrâ palliandis figmentis vestris, abutimini, & Vesparum imitatione, vnde Apes mella legunt, inde vos tantum venena & aculeos, tunc vos maximè ostenditis esse Prædicantes, cum maxima in nos & fidem Catholicam, convicia despumante prædicatione, populos Auditoresque vestros redditis attentos. Certè Cleri, & aliorum Catholicorum, non dico tam vniversalem, quàm tu scribis, sed nec vllum in latrones, & persecutores Christi & illius Evangelij, favorem & protectionem ostendes. Ex fide Catholica certum est, mala facienda non esse, etiam si ex illis bona aliqua eventura sperentur. Et si quis ex peccatis, commoda aut honores venetur, Catholico judicio dignus est vapulare. Ego nihil arguo, quibus vos primò faveatis, quos, & quò promoveatis, linguæ viribus, incendijs, flabellis; majus est omni conjecturâ quod capitur ex plurimis Prædicantium exemplis, & quod ab initio Mensis Septembris Anni 1619. ad hæc vsque tempora, cum gemitibus, & lachrymis, inopiâ, egestate, fame, nuditate, cæde, ruina, vastitate, acceptum refert Prædicantibus Hungaria.

Querela fol. 22. Vbi verò id vrges, vt vbivis locorum liberum permittatur vestræ Religionis exercitium, quæro & à te, & à reliquis Prædicantibus, jure an injuriâ, Ministerij ac Magisterij vestri, in Terris, Templis, & populis nostris perfungendi potestatem postuletis? Si dicatis, jure id à vobis postulari, denegari verò à nobis injuriâ; Quo quæso, Divino, an humano? Divino scilicet, sive Evangelico,

ab Evangelij Præconibus, quibus in Apostolis, & per Apostolos dixit Christus; † *Euntes in Mundum universum prædicate Evangelium omni Creaturæ.* Qui vniversum posuit, nullas Terras, nulla Templa, nullos populos excepit. Humano etiam; * extant enim Legum Hungaricarum Tabulæ, quibus libertas Religionis cauta est, Nullibi itaque illi resistendum, sed pateant Terræ, Templa, & populi. Placent hæc primordia, sed seorsim capiendi Lutherani à Calvinistis, vt illorum de semetipsis invicem sententiam habeamus.

† Marci ca 16. v. 15.

* Pacifica. Vienn. Art. 1. Item Articulorum, Anni 1618. Art. 1.

Alloquor vos Lutherani PRÆDICANTES, humaniter, & paris responsi hostimentum expecto. Itane verò sentitis vos, vt quod Calvinistæ docent, id ab illis vbique prædicari jure Divino permittendum censeatis? Ex Evangelio quod concionantur, an dicunt ad Evangelium? An sunt qui nominari volunt Evangelici? An jure etiam humano, quo Hungaricum intelligo, eadem passim illis indulta prædicandi licentia? Nihil horũ. Divinum illis in nullo, humanum nõ tam amplè suffragatur. Illius nomine se palliant, cum rem non habeant, huic apertam vim faciunt, omnia in rem suam, sed iniquam & iniquè, contra Evangelium non Evangelici, nisi sicut olim quidam dicti † Apostolici. Expedita hæc claris verbis ac sententijs, per Lutheranos de Calvinistis PRÆDICANTIBUS accipiamus. A Luthero principium. Lutherus *Sacramentarijs* (quo nomine omnes Lutherani Calvinistas intelligunt, * *nihil tetrius seu perniciosius, nullos hostes capitaliores expertum* se asserit; illos *novarum sectarum Magistros & phanaticos, sacramentum Cenæ Domini Ecclesijs eripere conantes, nihil in illorum scriptis ab ipso quidem lectis videri,*

† Vide Georg. Ederũ in Mataeolog. Haeret.

* Luth. Tomo 2. Latino contra mal: Scrip. Regis Angl

let,sic illam lingua lamentis,ô si lamentis tantum,sed & convicijs, & comminationibus, frons rugis,oculi denique & totus oris habitus torvitate consequuntur. Ratio, ratio desideratur in Adversarijs,ô si & ab ipsis;nos sumus, qui illam,& vt in ipsis regnet,optamus, & vt ad illam examinent,si quid delinquimus, rogamus,obsecramus,& obtestamur. Nihil impetramus, nisi hoc,quod omnino nolint Iesuitas in Hungariâ,vel Hospitio excipi,vel habitationis & conversationis vllius communione, vel eleemosynis Christianè haberi. Sed & aliud nolunt, fidem nimirum Catholicam in animis Christianorum conservari. An itaque alterum rectè,vel vtrumque? Neutrum certè, & tamen nolunt, non quidem à ratione,quâ inopem, vt jam patuit, & planè vacuam causam fovere, sed ab odio, quo divitem, & sine modo,sine lege erumpentem, rapidoque & rapaci fluxu, sacra & profana omnia transcurrentem. Huic itaque cum illorum non rationi, sed ab omni ratione toto Cœlo aberranti atque dissidenti odio, & voluntati, non consentimus, cum (quod magno Catholicorum probro faciunt, PRÆDICANTES, quasi verò ijs fidei & morum Magistris vtamur,eos veneremur, & observemus, qui inimicitias serant & dissensiones,) quæ Iesuitis objectant, comprobari petimus, & cum ne ad speciem quidem aliquid probent,quæ interdum etiam malæ causæ fucum facit,bona enim ab omni falsitatis pigmentorum aspersione abhorret,innocentes tamen exilio, quod Iurisperitis minorem capitis diminutionem placuit appellare, non damnamus,non mulctamus,non diminuimus,turbatores pacis proclamamur. Bellã scilicet pacem,quæ in innocentiæ,

imo

imò in ipſius pacis perſecutione conſiſtit. An nos pacis turbatores, qui non tantum innocentes, lege defendimus, ſed ne nocentes quidem ſine lege damnandos, neque hos, neque illos, vi, & armis invadendos cenſemus, vel Adverſarij, qui ſine lege, imò contra legem, Ieſuitas, & toto Regno expellendos contendunt, & quidem nullius criminis convictos, nullo Patrio Iure, in Hungariâ verſari ac habitare prohibitos, & qui illos expellant, ſpolient, trucident, concitarunt?

In legum obſervatione, velut in pulchra concordique Civilium membrorum harmonia, Reipublicæ pax atque tranquillitas conſiſtit, hanc nos vrſimus, & vrgemus ſemper, ſartam, tectamque cuſtodiendam; Ex his depromenda eſſent adverſus Ieſuitas, reliquum CLERVM, & Catholicos argumenta, non ex odijs arma, ex furoribus rapinæ, incendia, quibus in vaſtitatem, & propè ſolitudinem vertiſtis Hungariam. Vnde non Ieſuitæ, non CLERVS, neque alij Catholici, ſed vos eſtis pacis turbatores, & pacis ex Hungaria exturbatores, PRÆDICANTES.

Et quo tu quæſo indicio (nullo certe niſi vitio tuo) affirmas, traducendis hoc quoque Ieſuitis, & Archiepiſcopo Strigonienſi, hunc ab illis, & ab illorum Regula, cui (vt tu loqueris) *toto vitæ ſuæ tempore per ſtrictiſſimum juramentum ſe obligaverat, defeciſſe?* Nec cui, nec quomodò ſe obligaverit noviſti, nec quod defecerit probabis. Primum te docebo, quo ſecundum abs te probari impoſſibile eſſe, animadvertas. Non eſt verum, vel Archiepiſcopum vnquam juraſſe, vel jurare alios Ieſuitas, nullo omnino ad Superiorum, & ſingulariter Summi Pontificis *Querela fol. 18.*

voluntatem, dispositionem, ac mandatum habito respectu; toto vitæ ipsorum tempore, sub Iesuitarum Regulis ætatem transigere, imò verò hoc, & valdè solenniter jurant, ac vovent Iesuitæ, Summo se Pontifici obedientiam præstituros, quam etiam aliorum Ordinum professi religiosè observant. Si itaque Summus Pontifex, cui religiosa ab omnibus Regularibus obedientia debetur, quempiam ad statum perfectiorem, qualis est Episcopatus & Archiepiscopatus, respectu Ordinis Iesuitarum, & aliorum omnium, etiam strictioris Ordinis, ac regulæ observantium, assumere voluerit, sicut voluit Archiepiscopum Strigoniensem, non solum non deficit à Religione, sed & proficit in statu, neque juramento suo injurius est, sed talis esset, si Supremo Pastori non obtemperaret. Archiepiscopus itaque Strigoniensis, Apostolicâ jussione, de qua authenticarum literarum monumenta extant, ex Iesuitarum ordine assumptus, juramento obedientiæ satisfecit, ac proinde non defecit à Religione, imò verò si non obedivisset, violati se voti reum constituisset. Et quidem ad exemplum Sancti Stephani Regis Hungarorum, qui Sebastianum & Maurum, ex Ordine Sancti Benedicti, & Monasterio Sacri Montis Pannoniæ, qui à Divo Martino nomen habet, & ab Archiabbatia quoque locus est celeberrimus, Monachos, illum Archiepiscopatus Strigoniensis, hunc Quinqueecclesiensis Episcopatus olim dignitatibus affecerat, Matthias Secundus Rex Hungariæ, idemque Romanus Imperator, Petrum Pazmany ex Ordine Iesuitarum Strigoniensi Archiepiscopatu cohonestavit, ut tam Pontificis, quàm Cæsareæ & Regiæ Majestatis authoritate convictus, nec quid probes in

S. Dionis. Areopag. cap. 5. Eccle siast. Hierarch. apud S. Thom. 2. secundæ q. 184. Art. 6. in Argum. Sed contra Et idem S Thom. ibidem & eadem quæst. art. 7. in corp.

Bonfin Rer. Hung. Decade 2, lib. 1 Edit. Francofur. Anni 1581. fol. 177.

in hac causa, nec quo vani calumniatoris nomen evadas, vel habeas jam, vel inposterum invenias. Cætera quæ habes de Iustitiæ complemento, cui illud vnquam denegatum probabis? de neglectis aut dejectis officio Religionis vestræ hominibus, tam Heroicis, tam ab omni virtute præclaris; qui illi tam magni, tam Martiales? qui ita posthabiti? Qui Pontificij non tanti? Qui tã notati, tam rudes, tam imperiti, tam viles, melioribus vno religionis intuitu præpositi? De Donatione Regiâ, Quænam illa, in qua Templi jurisdictio reservata? Et si reservata est, cur id culpæ adscribis, & non potius legitimæ donantis potestati? An non in illius manu est, & quid donet, & quomodo? si est, cur Templi jurisdictionem non possit sibimet reservare? Si non est, & tamen donat, Bona in quibus talia Templa sunt constituta, jam illa non tam donat, quàm dare cogitur vel invitus. *Querela fol. 20. & 21.* *Querela fol. 21.*

De ijs qui per Pontificios, vel ex solis colloquijs apud Suam Majestatem in suspicionem trahuntur, vexantur per Fiscum; Qui illi susurrones? Qui illi, de quibus tam Sua Majestas, quàm delatores, & Fiscus, tam malè merentur? De Transylvaniæ ingressù; Qui ab illo tam arctè prohibiti? Et vtinam fuissent, aut si prohibiti sunt, abstinuissent, neque Regnum Hungariæ tantam cladem sensisset, neque Provinciæ Transylvaniæ tanta pericula imminerent. De ablegando CLERO, loco, officio, dignitate; PRÆDICANS ne Regia tibi jura vsurpaveris, ne Regibus præscripseris, ne legibus vim intuleris, ne Scripturas eo torseris, quò te torsisse æterna tormenta cogant pœnitere. Vetustiora sunt hæc, quàm quæ tu innoves, meliori formâ constituta, quàm quæ reformes. *Querela fol. 21.* *Querela fol. 22.*

mes. CLERVM, quem à Scriptura Sacra nihil avocavit, tu nihil ad illas revocas. Picarum ac Psittacorũ est, voces formare ab vsu, à consuetudine, à lingua, Hominis verò, & quidem humanè loquentis, à ratione.

* Matth. cap 20. v. 25. Luca ca 22 v. 25. † Matth. 6. v. 24. Luca ca 16. v. 13. Querela fol. 22.

Illud quod ex Scripturis obijcis: * *Vos autem non sic.* Item; † *Nemo potest duobus Dominis servire,* vtrumque sanctum est, DEI est, Divinum est; sed quò tu dicta esse existimas, neutrum illuc esse referendum, te teste vel invito, sed victo à veritate convincam, vbi tua verba profana Sacris commixta posuero, quæ sic habes, *Deniq; vt CLERVS seu spirituales personæ, prorsus ne in minimo quidem se immisceant, negotijs, tractatibus, & actionibus polyticis, sæcularibus seu Civilibus, sed simpliciter curent spiritualia, quemadmodum Ministri Evangelici, juxta illud Christi; Vos autem non sic. Item: Nemo potest duobus Dominis servire; Et illud.*

Tu supplex ora tu protege tuq; labora,
Vel
Arma Miles tractet, curet sua Templa Sacerdos.

* Exod. Levit. Num. & Deuteron. per totum. † Num. ca. 16. à v. 31. vsq; ad 33. * Num. ca. 12. v. 10.

Audi PRÆDICANS, vna animi aure, quæ cum tacitus leges, duabus capitis auribus non hauries, si his Scripturæ verbis, quæ verbis citas non sensu, hoc prohibitum est CLERO, quod tu prohibitum asseris, vt prorsus *ne in minimo quidem se immisceat negotijs, tractatibus, & actionibus polyticis Sæcularibus seu Civilibus;* Quid fuit populum DEI à Moyse & Aarone Sacerdotibus * gubernari, quibus qui contradixerunt † Core, Dathan & Abiron, à Terrâ absorpti sunt, * Maria verò Soror Moy-

sis

ſis lepra caſtigata? Quæ illa verba Dathan & Abiron, quos Moyſes vocabat, contra eundem & Aaronem Sacerdotes? † *Non venimus; Numquid parum eſt tibi, quod eduxiſti nos de terra, quæ lacte & melle manabat, vt occideres in Deſerto, niſi & dominatus fueris noſtri? Revera induxiſti nos in Terram, quæ fluit rivis lactis & mellis, & dediſti nobis poſſeſſiones Agrorum & Vinearum? An & oculos noſtros vis eruere? Non venimus.* Quid de Eleazaro? † *Pro hoc* (id eſt Ioſue) *ſi quid agendum, Eleazar Sacerdos conſulat Dominum; Ad verbum ejus egredietur & ingredietur ipſe, & omnes filij Iſrael cum eo.* * Quid Sacerdotes à Ioſue Civitatibus donari, & has ab illis poſſideri? † Quid pecunias in Templis per Sacerdotes colligi? Quid de Samuele? *Congregati ergo univerſi Majores* * *natu Iſrael, venerunt ad Samuelem in Ramatha, dixeruntq; ei; Ecce tu ſenuiſti & filij tui non ambulant in vijs tuis, conſtitue nobis Regem vt judicet, ſicut & univerſæ habent nationes.* † Quid Petrum & reliquos Apoſtolos precia Domorum & Agrorum curare & diſpenſare? * Quid Paulum Civis Romani jus obtendere? Quid Chriſtum † Sacerdotem Pontificem & Regem eſſe? Veniendum à veteribus ad recentia, à noſtris ad veſtros, à Sacerdotibus ad PRÆDICANTES. Quid poſt Lutherum & Calvinum, quorum & vivorum, ingenium, induſtria, & labor, & mortuorum, quæ eadem in libris eorundem ſuperſunt, non fidei tantum veteri & avitæ, ſed & Civili Reipublicæ in novam formam mutandæ, & olim addicta fuerant, & jam deſerviunt, † Paræo Heidelbergenſi Calviniſta Profeſſore teſte, Lutheranos PRÆDICANTES conſultores eſſe Principibus, circa Confœderationem, circa pacem & Bella? * Quid Ioannem Whitgiftum

† Num. ca. 16. v. 13. & 14.
† Num. ca. 27. v. 21.
** Ioſue ca. 21. v pluribus, per totum.*
† 4 Reg ca. 12. v. pluribus.
** 1. Reg. ca. 8. v 4.*
† Act. cap. 4. & 5. pluribus v.
** Act. cap. 22 à v. 25. vſq; ad 29.*
† Pſalm. 109. v 4. Hebr: cap. 5. v. 10. Hebr. cap. 6. v. 20. Matth. cap 2. v. 2. & 6.
† Paræus apud Adamum Contzen. lib. de vera pace cap. 6.
** Vide dedic. Epiſt. Thomæ Bra*

dochij in oper. Theol. sive Antapol. Iuelli Calvin. dicti Episcop. Saribur.

PRÆDICANTEM Calvinistam Anglum, Archiepiscopum Cantuariensem, totius Angliæ Primatem esse, & Elisabethæ quondam Angliæ Reginæ à consilijs? Quid Lucam Hodászi Hungarum, PRÆDICANTEM Debreczinensem, Anno 1607. in Villâ Iuanes, quò Valentinus Homonnai, & Franciscus Magocsi, & multi alij, Viri Nobiles, frequentes convenerant, in Comitatu Abavyvariensi, quid Petrum Alvinci Hungarum Transylvanum, PRÆDICANTEM Cassoviensem, ab hac ipsâ Civitate Anno 1619. in Comitatum Bihariensem ad oppida vsque, primò, Thelegd, postea Réu, tam hunc, quàm illum, cum Civili, politica, & sæculari, neutrum tamen cum pacata, sed vtrumque cum turbulenta legatione pervenire? Taceo alia exempla, si plura quis à me exigat, plurimorum enumeratione, neque labori parcam, neque calamo. Hoc tantum dico; Si *vos autem non sic*: Item: *Nemo potest duobus Dominis servire*, cur vos sic PRÆDICANTES? Item, Cur his deservitis? Solvite nodum hunc in rem vestram, solvetis & in nostram. Arctabo vos veritate. Cape rem & dictum ad rem PRÆDICANS: † *Reges Gentium dominantur eorum, vos autem non sic*; Non est CLERI, sed neque Imperatoris, neque Regum, neque aliorum Christianorum Principum, ita dominari, sicut Reges Gentium, de quibus Scriptura loquitur, dominantur; qui non tam â DEO concessum (permissum tamen) quàm â Tyrannide vsurpatum, jus Regium, prosequuntur. Hæc Tyrannis, vel fatente ipso * Calvino, verbis illis prohibetur. Illis vero: † *Nemo potest duobus Dominis servire*, id est, vt Chrysostomus loquitur, *contraria injungentibus*, * *concordia enim multos vnum facit.*

† Matth. c. 20. v. 25. & Lucæ ca. 22 v. 25.
* Calvin. lib. 4. Instit cap. vltimo § 26. apud Becan. De prim. Reg. Ang § 11.
† Matth. c. 6. v. 24. & Lucæ cap. 16. v. 13.
* S. Chrysost hom: in hunc locum

Certum

Certum enim est, pluribus Dominis sibi invicem subalternis, hoc est, quorum alius ab alio, & illi vicissim ab vno dependeant, neq; sibi invicem sint contrarij, servire hominem posse, ita † & divitias, & honores, & dignitates haberi, si in DEVM donatorem, à quo, * *omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum*, & in illum etiam, vt vltimum finem, imitatione Fluviorum, qui in Mare refluunt, vnde effluxerunt, referantur. Et quæro à vobis PRÆDICANTES, vel edere, bibere, amiciri, villas, domos, agros, vineas emere, possidere, vendere, & in alijs auctionari, legationibus fungi, Principum consilijs interesse, imò esse consultores, & quæ his annexa sunt, peragere, sunt negotia, tractatus, actiones, politica, Sæcularia & Civilia, vel simpliciter spiritualia? Si Sæcularia seu Civilia sunt, cur agitis? si agitis, cur in alijs damnatis? Quomodo sunt vera, quæ dicitis; *CLERVS seu spirituales personæ prorsus ne in minimo quidem se immisceant, negotijs, tractatibus & actionibus politicis Sæcularibus & Civilibus, sed simpliciter curent spiritualia, quemadmodum Ministri Evangelici?* In hunc modum simpliciter spiritualia curant Ministri Evangelici, & prorsus se, ne in minimo quidem immiscent negotijs, tractatibus & actionibus sæcularibus? Bellum sane modum spiritualem. Si hic simpliciter spiritualis, quis alius simpliciter non spiritualis? Si quæ enumeravi simpliciter spiritualia sunt, quæ alia Civilia? vel cur magis illa Civilia quam ista? *Vos autem non sic.* Item: *Nemo potest duobus Dominis servire*, PRÆDICANTES.

† Vide Bedã in hunc locum.

* Iacobi ca. 1. v. 17.

Querela fol. 22.

Accipe plura: Christi sunt hæc ad Discipulos: † *Vos vocatis me Magister & Domine, & benè dicitis, sum etenim*

† Ioan. cap. 13. v. 13.

* Matth.c. *enim.* Alibi. * *Filius hominis non venit ministrari, sed ministra-*
20.v.28. *re.* Idem Christus mandavit Asinum solvi & adduci,
† Matth.c. † *Dominus* (inquiens) *his opus habet.* * *Et cum fecisset quasi*
21.v.2 & 3 *flagellum de funiculis, omnes ejecit de Templo, oves quoq; & Bo-*
* Ioan.cap. *ves, & Nummulariorum æs effudit, & mensas subvertit:* Nuptijs
2.v.15. interfuit, † Aquam in Vinum mutavit, donavit Vinum;
† Ioan cap. Et tamen dixit; * *Regnum meum non est de hoc Mundo.*
2.v.9.
* Ioan.cap. Rem hic quoque habes, si ingenium habeas, quo Scri-
18.v 36. pturâ Sacrâ non abutare. Et collige animum PRÆDI-CANS: Non sunt multi vestrorum qui possessiones habeant, qui aurum, qui argentum, qui aliam & quidem multam suppellectilem? Sunt aliqui PRÆDICANTIUM, quibus si hæc offerantur, non acceptent? Qui illorum, quando, & vbi detrectarunt Civilibus negotijs si adhiberentur interesse? imò intersunt, & præsunt, vbi possunt, quàm libentissimè. *Vos autem non sic.* Item; *Nemo*
† Matth.c. *potest duobus Dominis servire.* † *Nolite possidere aurum neq; ar-*
10.v.9. *gentum, neq; pecuniam in Zonis vestris, neq; peram in via, neq; duas tunicas, neq; calceamenta, neq; virgam.* Vos possidetis aurum, & argentum, & pecuniam in Zonis vestris, & peras in via, imò vbi modus est, onustos currus alimentorum aliarumque rerum abundantiâ. Quot potestis, & tunicas, & alia vestimentorum genera, pro vobis, pro vxoribus, filijs & filiabus vestris, sæpe non ad commoditatem tantum, sed etiam ad luxum, & pompam providetis, similiter & calceamenta, Neque solum Virgas, sed Fustes, Baculos, Secures, Acinaces, & Tormenta manuaria, in itineribus gestitatis. *Vos autem non sic,* Item: *Nemo potest duobus Dominis servire.* Scimus ex Apostolo eos
* 1 Corinth * *qui emunt tanquam non possidentes, & qui vtuntur hoc Mun-*
cap.7.v.31. *do, tan-*

do, tanquam non vtantur, non peccare. Qui servos habet Dominus est, mandare illis potest, sed prius in ipso dominia, prius imperia, vim ac efficaciam habere debent, quàm illa derivet in suos. Certe Servis & Ancillis abundant plerique PRÆDICANTIVM, Domini itaque sunt illorum. Si igitur CLERVS sic habeat quæ habet, quasi non habeat; si Bona multa quæ peritura sunt, possideat, & ab illis non possideatur, si divitiæ quas Arca recipit, animum non decipiant, si Dominum habeant, non dominentur, si inter Sæculares Sæcularia, inter politicos & Cives, politica & Civilia ita tractet, vt spiritu, & amore erga DEVM, & proximum, omnes suas actiones, quodam quasi termino, scopo, pondere, & perpendiculo metiatur, spiritualis est CLERVS, Ecclesiastici spirituales sunt personæ, & rectè atque ex sententiâ Christi, de semetipsis possunt dicere: *Nos autem non sic vt Reges Gentium, vel vt Gentes.* Item: *Nos duobus Dominis non servimus.*

Sua quoque Templa curant Sacerdotes, si inermes à ferro, fortes verò à gratia DEI curas illorum, vestris Armis, vt jam soletis, non intervertatis. † In quo abs te citato versu, in vocabulo Miles, priorem syllabam contra prosodiam corripuisti; Error est Grammaticus, si tamen Militem quem produxisti, totum corripias, & sic ab errore verbi, ad emendationem facti progrediare, meritum erit Theologicum. *Querela fol. 22.*

Certè à maximo convicio, gravissimum illud quoque delictum est, quod tamen tibi facillimè ab animo, in linguam, & calamum defluxit, quo vniversum Statum Catholicum, latronum & persecutorum Christi, ejusque *Querela fol. 22.*

Evangelij, fautorem & promotorem calumniaris. Sed nec in hoc recedis à tuo instituto PRÆDICANS, qui enim, etiam Scripturâ Sacrâ palliandis figmentis vestris, abutimini, & Vesparum imitatione, vnde Apes mella legunt, inde vos tantum venena & aculeos, tunc vos maximè ostenditis esse PRÆDICANTES, cum maxima in nos & fidem Catholicam, convicia despumante prædicatione, populos Auditoresque vestros redditis attentos. Certè CLERI, & aliorum Catholicorum, non dico tam vniversalem, quàm tu scribis, sed nec vllum in latrones, & persecutores Christi & illius Evangelij, favorem & protectionem ostendes. Ex fide Catholica certum est, mala facienda non esse, etiam si ex illis bona aliqua eventura sperentur. Et si quis ex peccatis, commoda aut honores venetur, Catholico judicio dignus est vapulare. Ego nihil arguo, quibus vos primò faveatis, quos, & quò promoveatis, linguæ viribus, incendijs, flabellis; majus est omni conjecturâ quod capitur ex plurimis PRÆDICANTIVM exemplis, & quod ab initio Mensis Septembris Anni 1619. ad hæc vsque tempora, cum gemitibus, & lachrymis, inopiâ, egestate, fame, nuditate, cæde, ruina, vastitate, acceptum refert PRÆDICANTIBVS Hungaria.

Querela fol. 22. Vbi verò id vrges, vt vbivis locorum liberum permittatur vestræ Religionis exercitium, quæro & à te, & à reliquis PRÆDICANTIBVS, jure an injuriâ, Ministerij ac Magisterij vestri, in Terris, Templis, & populis nostris perfungendi potestatem postuletis? Si dicatis, jure id à vobis postulari, denegari verò à nobis injuriâ; Quo quæso, Divino, an humano? Divino scilicet, sive Evangelico, ab

ab Evangelij Præconibus, quibus in Apostolis, & per Apostolos dixit Christus; † *Euntes in Mundum universum prædicate Evangelium omni Creaturæ.* Qui vniversum posuit, nullas Terras, nulla Templa, nullos populos excepit. Humano etiam; * extant enim Legum Hungaricarum Tabulæ, quibus libertas Religionis cauta est, Nullibi itaque illi resistendum, sed pateant Terræ, Templa, & populi. Placent hæc primordia, sed seorsim capiendi Lutherani à Calvinistis, vt illorum de semetipsis invicem sententiam habeamus.

† *Marci ca 16. v. 15.*

* *Pacifica. Vienn. Art. 1. Item Articulorum, Anni 1618. Art. 1.*

Alloquor vos Lutherani PRÆDICANTES, humaniter, & paris responsi hostimentum expecto. Itane vero sentitis vos, vt quod Calvinistæ docent, id ab illis vbique prædicari jure Divino permittendum censeatis? Ex Evangelio quod concionantur, an dicunt ad Evangelium? An sunt qui nominari volunt Evangelici? An jure etiam humano, quo Hungaricum intelligo, eadem passim illis indulta prædicandi licentia? Nihil horũ. Divinum illis in nullo, humanum nõ tam amplè suffragatur. Illius nomine se palliant, cum rem non habeant, huic apertam vim faciunt, omnia in rem suam, sed iniquam & inique, contra Evangelium non Evangelici, nisi sicut olim quidam dicti † Apostolici. Expedita hæc claris verbis ac sententijs, per Lutheranos de Calvinistis PRÆDICANTIBVS accipiamus. A Luthero principium. Lutherus *Sacramentarijs* (quo nomine omnes Lutherani Calvinistas intelligunt, * *nihil tetrius seu perniciosius, nullos hostes capitaliores expertum* se asserit; illos *novarum sectarum Magistros & phanaticos, sacramentum Cœnæ Domini Ecclesijs eripere conantes, nihil in illorum scriptis ab ipso quidem lectis videri,*

† *Vide Georg. Ederū in Mataeolog. Haret.*

* *Luth. Tomo 2. Latino contra mal: Scrip. Regis Angl.*

let, sic illam lingua lamentis, ô si lamentis tantum, sed & convicijs, & comminationibus, frons rugis, oculi denique & totus oris habitus torvitate consequuntur. Ratio, ratio desideratur in Adversarijs, ô si & ab ipsis; nos sumus, qui illam, & vt in ipsis regnet, optamus, & vt ad illam examinent, si quid delinquimus, rogamus, obsecramus, & obtestamur. Nihil impetramus, nisi hoc, quod omnino nolint Iesuitas in Hungariâ, vel Hospitio excipi, vel habitationis & conversationis vllius communione, vel eleemosynis Christianè haberi. Sed & aliud nolunt, fidem nimirum Catholicam in animis Christianorum conservari. An itaque alterum rectè, vel vtrumque? Neutrum certè, & tamen nolunt, non quidem à ratione, quâ inopem, vt jam patuit, & planè vacuam causam fovent, sed ab odio, quo divitem, & sine modo, sine lege erumpentem, rapidoque & rapaci fluxu, sacra & profana omnia transcurrentem. Huic itaque cum illorum non rationi, sed ab omni ratione toto Cœlo aberranti atque dissidenti odio, & voluntati, non consentimus, cum (quod magno Catholicorum probro faciunt, PRÆDICANTES, quasi verò ijs fidei & morum Magistris vtamur, eos veneremur, & observemus, qui inimicitias serant & dissensiones,) quæ Iesuitis objectant, comprobari petimus, & cum ne ad speciem quidem aliquid probent, quæ interdum etiam malæ causæ fucum facit, bona enim ab omni falsitatis pigmentorum aspersione abhorret, innocentes tamen exilio, quod Iurisperitis minorem capitis diminutionem placuit appellare, non damnamus, non mulctamus, non diminuimus, turbatores pacis proclamamur. Bellã scilicet pacem, quæ in innocentiæ,
imo

imò in ipſius pacis perſecutione conſiſtit. An nos pacis turbatores, qui non tantum innocentes, lege defendimus, ſed ne nocentes quidem ſine lege damnandos, neque hos, neque illos, vi, & armis invadendos cenſemus, vel Adverſarij, qui ſine lege, imò contra legem, Ieſuitas, & toto Regno expellendos contendunt, & quidem nullius criminis convictos, nullo Patrio Iure, in Hungariâ verſari ac habitare prohibitos, & qui illos expellant, ſpolient, trucident, concitarunt?

In legum obſervatione, velut in pulchra concordique Civilium membrorum harmonia, Reipublicæ pax atque tranquillitas conſiſtit, hanc nos vrſimus, & vrgemus ſemper, ſartam, tectamque cuſtodiendam; Ex his depromenda eſſent adverſus Ieſuitas, reliquum CLERVM, & Catholicos argumenta, non ex odijs arma, ex furoribus rapinæ, incendia, quibus in vaſtitatem, & propè ſolitudinem vertiſtis Hungariam. Vnde non Ieſuitæ, non CLERVS, neque alij Catholici, ſed vos eſtis pacis turbatores, & pacis ex Hungaria exturbatores, PRÆDICANTES.

Et quo tu quæſo indicio (nullo certe niſi vitio tuo) affirmas, traducendis hoc quoque Ieſuitis, & Archiepiſcopo Strigonienſi, hunc ab illis, & ab illorum Regula, *cui* (vt tu loqueris) *toto vitæ ſuæ tempore per ſtrictiſſimum juramentum ſe obligaverat, defeciſſe?* Nec cui, nec quomodò ſe obligaverit noviſti, nec quod defecerit probabis. Primum te docebo, quo ſecundum abs te probari impoſſibile eſſe, animadvertas. Non eſt verum, vel Archiepiſcopum vnquam juraſſe, vel jurare alios Ieſuitas, nullo omnino ad Superiorum, & ſingulariter Summi Pontificis

Querela fol. 18.

voluntatem, dispositionem, ac mandatum habito respectu; toto vitæ ipsorum tempore, sub Iesuitarum Regulis ætatem transigere, imò verò hoc, & valde solenniter jurant, ac vovent Iesuitæ, Summo se Pontifici obedientiam præstituros, quam etiam aliorum Ordinum professi religiosè observant. Si itaque Summus Pontifex, cui religiosa ab omnibus Regularibus obedientia debetur, quempiam ad statum perfectiorem, qualis est Episcopatus & Archiepiscopatus, respectu Ordinis Iesuitarum, & aliorum omnium, etiam strictioris Ordinis, ac regulæ observantium, assumere voluerit, sicut voluit Archiepiscopum Strigoniensem, non solum non deficit à Religione, sed & proficit in statu, neque juramento suo injurius est, sed talis esset, si Supremo Pastori non obtemperaret. Archiepiscopus itaque Strigoniensis, Apostolicâ jussione, de qua authenticarum literarum monumenta extant, ex Iesuitarum ordine assumptus, juramento obedientiæ satisfecit, ac proinde non defecit à Religione, imò verò si non obedivisset, violati se voti reum constituisset. Et quidem ad exemplum Sancti Stephani Regis Hungarorum, qui Sebastianum & Maurum, ex Ordine Sancti Benedicti, & Monasterio Sacri Montis Pannoniæ, qui à Divo Martino nomen habet, & ab Archiabbatia quoque locus est celeberrimus, Monachos, illum Archiepiscopatus Strigoniensis, hunc Quinqueecclesiensis Episcopatus olim dignitatibus affecerat, Matthias Secundus Rex Hungariæ, idemque Romanus Imperator, Petrum Pazmany ex Ordine Iesuitarum Strigoniensi Archiepiscopatu cohonestavit, vt tam Pontificis, quàm Cæsareæ & Regiæ Majestatis authoritate convictus, nec quid probes in

S. Dionis. Areopag. cap. 5. Eccle siast. Hierarch. apud S. Thom. 2. secundæ q. 184. Art. 6. in Argum. Sed contra Et idem S Thom. ibidem & eadem quæst. art. 7. in corp.

Bonfin Rer. Hung. Decade 2, lib. 1 Edit. Francofur. Anni 1581. fol. 177.

in hac causa, nec quo vani calumniatoris nomen evadas, vel habeas jam, vel inposterum invenias. Cætera quæ habes de Iustitiæ complemento, cui illud vnquam denegatum probabis? de neglectis aut dejectis officio Religionis vestræ hominibus, tam Heroicis, tam ab omni virtute præclaris; qui illi tam magni, tam Martiales? qui ita posthabiti? Qui Pontificij non tanti? Qui tã notati, tam rudes, tam imperiti, tam viles, melioribus vno religionis intuitu præpositi? De Donatione Regiâ, Quænam illa, in qua Templi jurisdictio reservata? Et si reservata est, cur id culpæ adscribis, & non potius legitimæ donantis potestati? An non in illius manu est, & quid donet, & quomodo? si est, cur Templi jurisdictionem non possit sibimet reservare? Si non est, & tamen donat, Bona in quibus talia Templa sunt constituta, jam illa non tam donat, quàm dare cogitur vel invitus. *Querela fol. 20. & 21.* *Querela fol. 21.*

De ijs qui per Pontificios, vel ex solis colloquijs apud Suam Majestatem in suspicionem trahuntur, vexantur per Fiscum; Qui illi susurrones? Qui illi, de quibus tam Sua Majestas, quàm delatores, & Fiscus, tam malè merentur? De Transylvaniæ ingressu; Qui ab illo tam arctè prohibiti? Et vtinam fuissent, aut si prohibiti sunt, abstinuissent, neque Regnum Hungariæ tantam cladem sensisset, neque Provinciæ Transylvaniæ tanta pericula imminerent. De ablegando CLERO, loco, officio, dignitate; PRÆDICANS ne Regia tibi jura vsurpaveris, ne Regibus præscripseris, ne legibus vim intuleris, ne Scripturas eo torseris, quò te torsisse æterna tormenta cogant poenitere. Vetustiora sunt hæc, quàm quæ tu innoves, meliori formâ constituta, quàm quæ reformes. *Querela fol. 21.* *Querela fol. 22.*

ſis lepra caſtigata? Quæ illa verba Dathan & Abiron, quos Moyſes vocabat, contra eundem & Aaronem Sacerdotes? † *Non venimus; Numquid parum eſt tibi, quod eduxiſti nos de terra, quæ lacte & melle manabat, vt occideres in Deſerto, niſi & dominatus fueris noſtri? Revera induxiſti nos in Terram, quæ fluit rivis lactis & mellis, & dediſti nobis poſſeſſiones Agrorum & Vinearum? An & oculos noſtros vis eruere? Non venimus*. Quid de Eleazaro? † *Pro hoc* (id eſt Ioſue) *ſi quid agendum, Eleazar Sacerdos conſulat Dominum; Ad verbum ejus egredietur & ingredietur ipſe, & omnes filij Iſrael cum eo.* * Quid Sacerdotes à Ioſue Civitatibus donari, & has ab illis poſſideri? † Quid pecunias in Templis per Sacerdotes colligi? Quid de Samuele? *Congregati ergo vniverſi Majores * natu Iſrael, venerunt ad Samuelem in Ramatha, dixeruntq; ei: Ecce tu ſenuiſti & filij tui non ambulant in vijs tuis, conſtitue nobis Regem vt judicet, ſicut & vniverſæ habent nationes.* † Quid Petrum & reliquos Apoſtolos precia Domorum & Agrorum curare & diſpenſare? * Quid Paulum Civis Romani jus obtendere? Quid Chriſtum † Sacerdotem Pontificem & Regem eſſe? Veniendum à veteribus ad recentia, à noſtris ad veſtros, à Sacerdotibus ad PRÆDICANTES. Quid poſt Lutherum & Calvinum, quorum & vivorum, ingenium, induſtria, & labor, & mortuorum, quæ eadem in libris eorundem ſuperſunt, non fidei tantum veteri & avitæ, ſed & Civili Reipublicæ in novam formam mutandæ, & olim addicta fuerant, & jam deſerviunt, † Paræo Heidelbergenſi Calviniſta Profeſſore teſte, Lutheranos PRÆDICANTES conſultores eſſe Principibus, circa Confœderationem, circa pacem & Bella? * Quid Ioannem Whitgiſtum

† *Num. ca. 16. v. 13. & 14.*
† *Num. ca. 27. v. 21.*
* *Ioſue ca. 21. v pluribus, per totum.*
† *4 Reg ca. 12. v. pluribus.*
* *1. Reg. ca. 8. v 4.*
† *Act. cap. 4. & 5. pluribus v.*
* *Act. cap. 22 à v. 25. vſq; ad 29.*
† *Pſalm. 109. v 4. Habr: cap. 5. v. 10. Habr. cap. 6. v. 20. Matth. cap 2. v. 2. & 6.*
† *Paræus apud Adamum Contzen. lib. de vera pace cap. 6.*
* *Vide dedic. Epiſt. Thomæ Br a*

N PRÆ-

dochij in oper. Theol. sive Antapol. Iuelli Calvin dicti Episcop. Sarisbur.

PRÆDICANTEM Calvinistam Anglum, Archiepiscopum Cantuariensem, totius Angliæ Primatem esse, & Elisabethæ quondam Angliæ Reginæ à consilijs? Quid Lucam Hodászi Hungarum, PRÆDICANTEM Debreczinensem, Anno 1607. in Villâ Iuancs, quò Valentinus Homonnai, & Franciscus Magocsi, & multi alij, Viri Nobiles, frequentes convenerant, in Comitatu Abavyvariensi, quid Petrum Alvinci Hungarum Transylvanum, PRÆDICANTEM Cassoviensem, ab hac ipsâ Civitate Anno 1619. in Comitatum Bihariensem ad oppida vsque, primò, Thelegd, postea Réu, tam hunc, quàm illum, cum Civili, politica, & sæculari, neutrum tamen cum pacata, sed vtrumque cum turbulenta legatione pervenire? Taceo alia exempla, si plura quis à me exigat, plurimorum enumeratione, neque labori parcam, neque calamo. Hoc tantum dico; Si *vos autem non sic*: Item: *Nemo potest duobus Dominis servire*, cur vos sic PRÆDICANTES? Item, Cur his deservitis? Solvite nodum hunc in rem vestram, solvetis & in nostram. Arctabo vos veritate. Cape rem & dictum ad rem PRÆDICANS: † *Reges Gentium dominantur eorum, vos autem non sic*; Non est CLERI, sed neque Imperatoris, neque Regum, neque aliorum Christianorum Principum, ita dominari, sicut Reges Gentium, de quibus Scriptura loquitur, dominantur; qui non tam à DEO concessum (permissum tamen) quàm à Tyrannide vsurpatum, jus Regium, prosequuntur. Hæc Tyrannis, vel fatente ipso * Calvino, verbis illis prohibetur. Illis vero: † *Nemo potest duobus Dominis servire*, id est, vt Chrysostomus loquitur, *contraria injungentibus*, * *concordia enim multos vnum facit.*

† Matth. c. 20. v. 25 & Lucæ ca. 22 v. 25.
* Calvin. lib. 4. Instit cap. vltimo § 26. apud Becan. De prim. Reg. Ang § 11.
† Matth. c. 6. v. 24. & Lucæ cap. 16. v. 13.
* S. Chrysost hom: in hunc locum

Certum

Certum enim eſt, pluribus Dominis ſibi invicem ſubalternis, hoc eſt, quorum alius ab alio, & illi viciſſim ab vno dependeant, neq; ſibi invicem ſint contrarij, ſervire hominem poſſe, ita † & divitias, & honores, & dignitates haberi, ſi in DEVM donatorem, à quo, * *omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum*, & in illum etiam, vt vltimum finem, imitatione Fluviorum, qui in Mare refluunt, vnde effluxerunt, referantur. Et quæro à vobis PRÆDICANTES, vel edere, bibere, amiciri, villas, domos, agros, vineas emere, poſſidere, vendere, & in alijs auctionari, legationibus fungi, Principum conſilijs intereſſe, imò eſſe conſultores, & quæ his annexa ſunt, peragere, ſunt negotia, tractatus, actiones, politica, Sæcularia & Civilia, vel ſimpliciter ſpiritualia? Si Sæcularia ſeu Civilia ſunt, cur agitis? ſi agitis, cur in alijs damnatis? Quomodo ſunt vera, quæ dicitis; *CLERVS ſeu ſpirituales perſonæ prorſus ne in minimo quidem ſe immiſceant, negotijs, tractatibus & actionibus politicis Sæcularibus & Civilibus, ſed ſimpliciter curent ſpiritualia, quemadmodum Miniſtri Evangelici?* In hunc nempe modum ſimpliciter ſpiritualia curant Miniſtri Evangelici, & prorſus ſe, ne in minimo quidem immiſcent negotijs, tractatibus & actionibus ſæcularibus: Bellum ſane modum ſpiritualem. Si hic ſimpliciter ſpiritualis, quis alius ſimpliciter non ſpiritualis? Si quæ enumeravi ſimpliciter ſpiritualia ſunt, quæ alia Civilia? vel cur magis illa Civilia quam iſta? *Vos autem non ſic.* Item: *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire*, PRÆDICANTES.

† *Vide Bedã in hunc locum.*

* *Iacobi ca. 1. v. 17.*

Querela fol. 22.

Accipe plura: Chriſti ſunt hæc ad Diſcipulos: † *Vos vocatis me Magiſter & Domine, & benè dicitis, ſum etenim*

† *Ioan. cap. 13. v. 13.*

* Matth.c. 20.v.28. *enim.* Alibi. * *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Idem Christus mandavit Asinum solvi & adduci, † Matth.c. 21.v.2 & 3 † *Dominus* (inquiens) *his opus habet.* * *Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de Templo, oves quoq; & Boves, & Nummulariorum æs effudit, & mensas subvertit:* * Ioan.cap. 2.v.15. Nuptijs interfuit, † Aquam in Vinum mutavit, donavit Vinum; † Ioan cap. 2.v.9. Et tamen dixit; * *Regnum meum non est de hoc Mundo.* * Ioan.cap. 18.v 36. Rem hic quoque habes, si ingenium habeas, quo Scripturâ Sacrâ non abutare. Et collige animum PRÆDICANS: Non sunt multi vestrorum qui possessiones habeant, qui aurum, qui argentum, qui aliam & quidem multam suppellectilem? Sunt aliqui PRÆDICANTIUM, quibus si hæc offerantur, non acceptent? Qui illorum, quando, & vbi detrectarunt Civilibus negotijs si adhiberentur interesse? imò intersunt, & præsunt, vbi possunt, quàm libentissimè. *Vos autem non sic.* Item; *Nemo potest duobus Dominis servire.* † *Nolite possidere aurum neq; argentum, neq; pecuniam in Zonis vestris, neq; peram in via, neq; duas tunicas, neq; calceamenta, neq; virgam.* † Matth.c. 10.v.9. Vos possidetis aurum, & argentum, & pecuniam in Zonis vestris, & peras in via, imò vbi modus est, onustos currus alimentorum aliarumque rerum abundantiâ. Quot potestis, & tunicas, & alia vestimentorum genera, pro vobis, pro vxoribus, filijs & filiabus vestris, sæpe non ad commoditatem tantum, sed etiam ad luxum, & pompam provideetis, similiter & calceamenta; Neque solum Virgas, sed Fustes, Baculos, Secures, Acinaces, & Tormenta manuaria, in itineribus gestitatis. *Vos autem non sic,* Item: *Nemo potest duobus Dominis servire.* Scimus ex Apostolo eos * *qui emunt tanquam non possidentes, & qui vtuntur hoc Mundo, tan-* * 1 Corinth cap.7.v.31.

do, tanquam non vtantur, non peccare. Qui servos habet Dominus est, mandare illis potest, sed prius in ipso dominia, prius imperia, vim ac efficaciam habere debent, quàm illa derivet in suos. Certe Servis & Ancillis abundant plerique PRÆDICANTIVM, Domini itaque sunt illorum. Si igitur CLERVS sic habeat quæ habet, quasi non habeat; si Bona multa quæ peritura sunt, possideat, & ab illis non possideatur, si divitiæ quas Arca recipit, animum non decipiant, si Dominum habeant, non dominentur, si inter Sæculares Sæcularia, inter politicos & Cives, politica & Civilia ita tractet, vt spiritu, & amore erga DEVM, & proximum, omnes suas actiones, quodam quasi termino, scopo, pondere, & perpendiculo metiatur, spiritualis est CLERVS, Ecclesiastici spirituales sunt personæ, & rectè atque ex sententiâ Christi, de semetipsis possunt dicere: *Nos autem non sic vt Reges Gentium, vel vt Gentes.* Item: *Nos duobus Dominis non servimus.*

Sua quoque Templa curant Sacerdotes, si inermes à ferro, fortes verò à gratia DEI curas illorum, vestris Armis, vt jam soletis, non intervertatis. † In quo abs te citato versu, in vocabulo Miles, priorem syllabam contra prosodiam corripuisti; Error est Grammaticus, si tamen Militem quem produxisti, totum corripias, & sic ab errore verbi, ad emendationem facti progrediare, meritum erit Theologicum. *Querela fol. 21.*

Certè à maximo convicio, gravissimum illud quoque delictum est, quod tamen tibi facillimè ab animo, in linguam, & calamum defluxit, quo vniversum Statum Catholicum, latronum & persecutorum Christi, ejusque *Querela fol. 21.*

Evangelij, fautorem & promotorem calumniaris. Sed nec in hoc recedis à tuo instituto, Prædicans, qui enim, etiam Scripturâ Sacrâ palliandis figmentis vestris, abutimini, & Vesparum imitatione, vnde Apes mella legunt, inde vos tantum venena & aculeos, tunc vos maximè ostenditis esse Prædicantes, cum maxima in nos & fidem Catholicam, convicia despumante prædicatione, populos Auditoresque vestros redditis attentos. Certè Cleri, & aliorum Catholicorum, non dico tam vniversalem, quàm tu scribis, sed nec yllum in latrones, & persecutores Christi & illius Evangelij, favorem & protectionem ostendes. Ex fide Catholica certum est, mala facienda non esse, etiam si ex illis bona aliqua eventura sperentur. Et si quis ex peccatis, commoda aut honores venetur, Catholico judicio dignus est vapulare. Ego nihil arguo, quibus vos primò faveatis, quos, & quò promoveatis, linguæ viribus, incendijs, flabellis; majus est omni conjecturâ quod capitur ex plurimis Prædicantium exemplis, & quod ab initio Mensis Septembris Anni 1619. ad hæc vsque tempora, cum gemitibus, & lachrymis, inopiâ, egestate, fame, nuditate, cæde, ruina, vastitate, acceptum refert Prædicantibus Hungaria.

Querela fol. 22. Vbi verò id vrges, vt vbivis locorum liberum permittatur vestræ Religionis exercitium, quæro & à te, & à reliquis Prædicantibus, jure an injuriâ, Ministerij ac Magisterij vestri, in Terris, Templis, & populis nostris perfungendi potestatem postuletis? Si dicatis, jure id à vobis postulari, denegari verò à nobis injuriâ; Quo quæso, Divino, an humano? Divino scilicet, sive Evangelico, ab

ab Evangelij Præconibus, quibus in Apostolis, & per Apostolos dixit Christus, † *Euntes in Mundum universum prædicate Evangelium omni Creaturæ.* Qui vniversum posuit, nullas Terras, nulla Templa, nullos populos excepit. Humano etiam; * extant enim Legum Hungaricarum Tabulæ, quibus libertas Religionis cauta est, Nullibi itaque illi resistendum, sed pateant Terræ, Templa, & populi. Placent hæc primordia, sed seorsim capiendi Lutherani à Calvinistis, vt illorum de semetipsis invicem sententiam habeamus.

† *Marci ca 16. v. 15.*

* *Pacifica. Vienn. Art. 1. Item Articulorum, Anni 1618. Art. 1.*

Alloquor vos Lutherani PRÆDICANTES, humaniter, & paris responsi hostimentum expecto. Itane verò sentitis vos, vt quod Calvinistæ docent, id ab illis vbique prædicari jure Divino permittendum censeatis? Ex Evangelio quod concionantur, an dicunt ad Evangelium? An sunt qui nominari volunt Evangelici? An jure etiam humano, quo Hungaricum intelligo, eadem passim illis indulta prædicandi licentia? Nihil horū. Divinum illis in nullo, humanum nō tam amplè suffragatur. Illius nomine se palliant, cum rem non habeant, huic apertam vim faciunt, omnia in rem suam, sed iniquam & iniquè, contra Evangelium non Evangelici, nisi sicut olim quidam dicti † Apostolici. Expedita hæc claris verbis ac sententijs, per Lutheranos de Calvinistis PRÆDICANTIBVS accipiamus. A Luthero principium. Lutherus *Sacramentarijs* (quo nomine omnes Lutherani Calvinistas intelligunt, * *nihil tetrius seu perniciosius, nullos hostes capitaliores expertum* se asserit; illos *novarum sectarum Magistros & phanaticos, sacramentum Cænæ Domini Ecclesijs eripere conantes, nihil in illorum scriptis ab ipso quidem lectis videri,*

† *Vide Georg. Ederū in Matæolog. Heret.*

* *Luth. Tomo 2. Latino contra mal: Scrip. Regis Angl*

videri, cui ipsos tuto inniti posse existimet. Clara hæc, nec ad conjecturas dicta, sed vt evidens appareat, Lutheri de Calvinistarum dogmate judicium. Verùm, quod Iure-consulti ex penetralibus philosophiæ acceptum, in leges ipsorum transcripserunt, Ambulatoriam dicunt hominis voluntatem. Quid si testamento aliud cavisset, in favorem Calvinistarum, quo correcta priore, asperioreque sententiâ, sicut senior, mortique vicinior, ita erga Calvinistas mitior atque benevolentior, alio illos, vna cum illorum doctrina, & loco, & honore habendos, discipulis suis obiturus mandasset? Lutheri sunt hæc verba, ad discipulos & hæredes facta: † *Ego tanquam alterum jam pedem in sepulchro habens, hoc testimonium, & hanc gloriam mecum ad Tribunal Domini adferam, quod hostes sacramẽti Carolstadium Zwinglium, Oecolampadium, eorumq; discipulos,* (Calvinũ & Calvinistas) *toto pectore dãnaverim, & vitarim, nec habeo cũ quoquã eorum amicitiam, neq; literis, neq; scriptis, neq; verbis.* Hæc quoq; aperta sunt sine involucris, certa sine ambiguitate. Quid si post obitum Lutheri in vnius fidei consensionem coaluissent Lutherani & Calvinistæ? Nihil minus. Præterquam enim quod Liber Concordiæ Lutheranorum pluribus Articulis * damnet doctrinam Calvinistarum, Augustanæ Confessionis PRÆDICANTES in Hungaria, † in ipso suscipiendæ functionis illorum initio, juratum eidem Libro assensum præbentes, Calvinismum hæresim vocant, & transitum ad illum à Lutheranismo, vomitum, & enormem Apostasiam. Ex his & quæ * Graverus de Calvinistici dogmatis cum Iesu Christi doctrina Bello conscripsit; quæ item Calvinus in Epistola ad † Bezam, & * alibi, quæ

Sadeel

† *Luth. in Cõfess min: vt refert Bern. Dorhoff. in sua Apodixica 4. versus finem.*

* *Vide Epitom. Artic. Titul. cõtr: & damnat: Sacrã. sẽt: rejectio.*

† *Vide summam Vng. Art ab August. Conf. Præd. controv. editã*

†Sadeel & Beza contra doctrinam Lutheranam, Ietzlerus de diuturnitate Belli Eucharistici, & quamplurimi similium alij, in exterminium vtriusq; doctrinæ, Lutheranæ scilicet & Calvinianæ, scripta commiserunt, & quæ his ipsis temporibus, vel in ipsa Hungariâ committunt, vel dicunt, quam doctrinâ & animo secessionem ab invicem fecerunt, ita calamo, & linguâ, & reddiderunt, & reddunt in dies explicatam, vt non nisi imprudentissimo, & qui ne id quidem videat, quod videt, nec quod palpat tangat, fucus fieri possit, de Lutheranorum & Calvinistarum in religione, & religionis fundamentis discordiâ, à quibus, etsi conciliandæ concordiæ plurimum sit, & sæpè, & temporis & operæ impensum, perditum est tamen semper.

Iam, cum Lutherani Calvinistarum, & hi vicissim illorum religionem, toto pectoris, calami, & linguæ nixu damnent, certè neutra pars adversæ religionis impunitati Iuris Divini præsidium ac tutelam obtendet, nisi eâdem operâ censeat, nullum esse genus mali, quod jure Divino non liceat, quo si liceat, jam, ne malum quidem erit malum, sed bonum, tanto intervallo bonum Iuris Divini à malo omnis culpæ abhorret.

*Obijcies; Evangelio, quod jus Divinum est, permittuntur hæreses, ergo licent eodem etiam Iure.

† Respondeo, aliud esse permitti, id est non impediri, aliud licere, id est rectè fieri. Multa mala, Iure Divino, quod menti & omnipotentiæ Divinæ, & ipsi DEO idem est, permittuntur, hoc est, DEVS vi suæ omnipotentiæ, si vellet, malorũ omnium origines, semina, Authores, Authorum animos, à quibus, sicut ova à Gallinis excludun-

in oppido kereſztur † *Typis Mansliani Anno 1598.* * *Grau. in Bello Ioan. Calv.* † *Calv. lib 4. Instit. ca 16. §. 16, 17, 18.* * *Sadeel. in præf. Disp. Theolog & Schol. de ver. nat. hum. Iesu Christi.* † *Beza in Confess. fid. ca 7. videantur Præfat. in Hungar. Hasenr. Item Symbolum puerorum Hung. edit. kereſztur 1615. sæpe in Marg.* * *Obiectio.* † *Responsio*

cludun-

cluduntur, ita erumpunt hæreſes, poſſet vel impedire ne fierent, vel interimere, ne ſuccreſceret, vel aliò tranſvertere animos, ne conciperent, vel ipſos homines in momento diſperdere, ne eſſent cui hæreſes adhærerent. Hæc non faciendo, dicitur permittere. Cæterum, ſi permiſſio, non prohibitioni æquipollere intelligatur, in ſenſu, hæreſes DEVS non permittit, fieri enim illas, & factas acceptari, toto Evangelio, quod jus Divinum eſt, & ſacroſancta veritatis diſciplina, prohibet, & docet non licere.

Obiectio. * 1. Corinth cap. 11. v. 19. Matth. ca 13. v. 30. Obijcies, Ad quid ergo ſunt illa verba Apoſtoli, * *Nam oportet & hæreſes eſſe*; Alia verò ipſiuſmet Christi; *Sinite vtraq; creſcere vſq; ad meſſem*; frumentum ſcilicet & Zizania?

Reſponſio. Reſpondeo; Certò hæreſes futuras, ſicut prævidit, ita & prædixit Chriſtus, & ſicut ille, & prævifio, ac præſcientia illius, falli nequaquam poteſt, ita certò & infallibiliter ſunt futuræ; ſic oportet illas eſſe, non quia vel ex præcepto DEI, vel ex rationis ductu, & æquitate, fieri debeant, vel rectè fieri poſſint, vt ideò illas eſſe, ſit neceſſarium, vel quod non poſſint non eſſe, vel illas eſſe, quædam neceſſitas, ſive rerum ordinis, ſive hominum commodi, ac vtilitatis, expetat & requirat. Sinenda etiam Zizania non aliter jubentur, quàm ſi ſine eradicatione frumenti evelli non poſſint, ſi enim ſine tanto optimæ & ſalutaris ſementis incommodo auferri poſſint, id non improbatur.

Sed quid multis? Scio hæreſes, quas Evangelio, id eſt lege DEI, & Divino Iure vetitas, vident, legunt, intelligunt, & credunt tam Lutherani quàm Calviniſtæ, eodem

dem illas Evangelio, eâdem lege, & Iure, licere non dicent, ac proinde nec Lutherani Calvinismo, neq; Calvinistæ Lutheranismo, omnia vbique pervadendi licentiam, Iuris Divini patrocinio prætexent. Præter alia enim quæ de illis jam notavi, cur se se mutuò, & sæpè, ex multis Germaniæ, neque paucis Hungariæ locis, excluderent, supplantatâ aliâ pro aliâ Religione? cur de Evangelij interpretatione, & de Evangelico nomine, tam diu, & tam asperè decertarent?

Venio ad Ius humanum illudque Hungaricum. Vel Iure Hungarico censent Lutherani, Calvinistas in sua Templa, Cathedras, terras, & populos admitti debere, vel non. Si censent, cur non admittunt? imò irrepentes cur ejciunt? Si non censent, atque ideò abarcent, quod vicissim Calvinistæ in Lutheranos statuunt, quomodo non turbant Religionis libertatem? Si enim turbant, jam Iuris, Religionis, & pacis sunt turbatores. Si non turbant, ergo libertatem Religionis ita circumscribunt, vt non vtramq; Religionem Lutheranam scilicet & Calvinianam, apud vtrosque, id est Lutheranos & Calvinistas, liceat promiscuè, & ad partium libitum exercere, sed apud Lutheranos Lutheranam, apud Calvinistas Calvinisticam. Hæc cum ita sentiant, ita enim limitant Religionis libertatem, ita inter se exequuntur, cur à Catholicis, qui & prioris temporis prærogativam habent, & non minorem etiam à Iure Hungarico, Catholicæ, quàm illi Lutheranæ & Calvinianæ religionis libertatem, ita passim admitti contendunt? Iure Divino, etiamsi Angeli sint ad Evangelizandum aliud à fide Catholica, admittendi non sunt; Aliud autem Evangelizant Lutheranis testi-

bus Calvinistæ, aliud illi horum vicissim testimonio, aliud vtrique, firmissimè id evincentibus, Scripturâ Sacrâ, Concilijs, Sanctis Patribus, Historijs, Temporibus, Templis, Locis, Fabricis, Miraculis, tot ac tantorum populorum consensu, & alijs quamplurimis, causæ, & Religionis nostræ firmamentis, quibus cum se se prostratos, oppressósque animadvertant PRÆDICANTES, ad centuplicatam Sacræ Scripturæ, verborum, literæ, Textus, Capitis, numeri, lineæ, appellationem, & non ad Scripturæ sensum, quem Spiritus Sanctus, sed quem privatus vniuscujusque illorum affectus voluit, aut vult illi inesse, vel potius inesse confingit, se se proripiunt, ibi eunt in gyrum, aguntur in Circulos, ibi illis veteres omnes Sancti Patres rudes sunt præ Luthero & Calvino, apud vtriusq; Sectarios, imò præ Sectarijs quantumvis ineruditis, ibi Concilia falsa, ac proinde nihil attendenda, contemnenda, irridenda, ibi Ecclesia, Meretrix Babylonica, multis & magnis ductata, & defœdata erroribus, Historiæ fabulæ, miracula præstigiæ; soli Lutherani apud Lutheranos, Calvinistæ apud Calvinistas sapiunt, ad Textum, ad literam, sentiunt, loquuntur, erudiunt, hi apud illos, sicut illi apud istos, desipiunt, à Textu, à literâ dissentiunt, mentiuntur, seducunt. Clarum Textum, claram literam, imò Solem ipsum, & quidem in meridie; & tamen se se invicem, ignorantes, stupidos, stipites qui non intelligant, cæcos qui non videant, ad Vrbes, ad Oppida, ad Villas, ad Templa, ad Scholas, ad Pulpita, ad Vias, ad Mensas, ad Convivia, scripto, voce, convitijs, pasquillis, proscriptionis, exiliorum, interdum etiam pignorum, quin & ampliore mulctâ, in publicum evulgant.

gant. Sed hæc paulo fuſius, ſtrictim iterum premam Adverſarios.

Quonam jure poſcitis, quam poſcitis veſtri ad nos, veſtræque Religionis promiſcuam hanc admiſſionem, Divino an humano? Illo non, de quo neque inter vos convenitis; neque iſto, quo ad limites veſtros reſtricti, in ijſdem exercendæ Religionis veſtræ, † non ad noſtros etiam pervadendi libertatem accepiſtis. De tam latâ enim, & ad voluntatis veſtræ menſuram, ad nos vſque, & in fines noſtros porrecta, & producta libertate, nec ſyllabam, nec literam, nec Aſteriſcum, nec apicem vnquam Iuris Hungarici, proferetis. Nullo itaque Iure agitis, cum firmatæ, etiam legibus Hungariæ, libertati noſtræ, vim infertis tantorum conatuum, in noſtra invadendi. Quibus, cum & verbum DEI opponimus, & Patrias leges, & rationes, ad eam vſque æquitatis victoriam & palmam, vt quibus ad herbam veritati porrigendam arctamini, eas Philoſophicas rationes eſſe, illis vos vinci, & ad eas reſpondere neſcire exclametis. Philoſophicas ſcilicet à Divina & humana Philoſophia, hæc enim illi ſubſervit ac famulatur, quamvis hæc etiam Divina, à Divina enim ſapientia, & ab illo perenni omnis Intellectus, ac ſcientiarum fonte, derivata, altera tamen excellentiori longe conditione talis, humanam enim rationem penitus tranſcendit, divinique ordinis eſt, atque ſtatus.

† *Pacifica. Viennenſ. art. 1.*

In hac noſtra de animis veſtris victoria, Sermones veſtros, non rationis veſtræ, quam victam geritis, ſed paſſionum ac motuum, quibus diſtrahimini, indices facitis, & profertis interpretes, vos ſcilicet, rationibus, atque argumentis nolle decertare, acumina illa, eſſe Scholaſtica,

quibus vos insueti, illis, tempora, quæ in lucro esse deberent rerum agendarum, composito falli; vos ea neque audire, si dicantur, neque si scribantur legere, minus ad eadem responsum dignari; alias vobis vias esse, alios modos perficiendi quod conamini. Sic apud vos ab Idea turbarum in animo, quas fœcundè concipitis, parturiuntur aliæ, quas apertis, & excussis visceribus, ac stomacho, in Patriam ac Patricios effunditis, non illorum tantum, sed & vestro damno, eo tamen, & vnico vestrûm solatio, quod eorum ruinam aut damna videatis, quos solos ruere ac perire, vel ad vltimam vsque egestatem, damnis affectos, videre velletis. Hic jam non Scholastica arma, quæ pacis artibus acuuntur, & vel victis vtilitatem adferunt, sed militaria acumina stringunt oculos, & cæsim punctimque corpora perfodiunt, innoxioque multorum sanguine, etiam Martyrum, quod nuper & Cassoviæ accidit, purpurantur. Hic jam tempora in lucrum currunt rerum malè parandarum, & à quibus alios dejecerunt, eisdem alios divitant gazis atque opulentia. Hic clangores Turbarum audiuntur, novæ leges, in veterum ignominiam & abrogationem conscribuntur, miliæ veluti Duces præeunt, verberibus, vulneribus, cædibus, exilijs, rapinis, spolijs, incendijs, ruinis, & multorum ejulatibus gravidæ Villarum, Oppidorum, Civitatumque conflagrationi, & non hominum, sed Ferarum habitaculis accommodæ vastitati. His vos initium dedistis, & progressum PRÆDICANTES, nemo nostrorum, à quibus jure & rationibus victi, eosdem in vindictam armis vincere, & vestris vincire catenis, & vt ad vestrum libitum, sive in paupertatem, sive in exilium, sive in vitam.

Anno 1619.

ram, sive in mortem, cum illis omnia agere possitis, vigilijs, laboribus, totâ denique linguæ, clamorisque industriâ conamini. In quem ex vestris arma sumpserunt in Hungaria Catholici, quos prius vos armis non lacessiveritis? Imò & lacessiti ad pacis conciliandæ media recurrerunt, nec nisi extrema necessitate ad armorum.

Verùm etsi multis jam modis patuerit, ex debito tamen, quod ex promissio meo natum est, quo recepi ostensurum me, PRÆDICANTES esse Turbarum, tumultuum, & Bellorum Authores, id, tam ijs quæ alibi, quàm quæ in Hungaria contigerunt, pluribus, & singularibus exemplis sum executurus.

† Quis Germaniæ pacem turbavit, Cæsarem Carolum Quintum, Regem Angliæ Henricum Octavum, Georgium Ducem Saxoniæ, & alios Principes convicijs proscidit, * & rescidit leges Magistratuum? PRÆDICANS LUTHERUS. Quis in DEUM ipsum Bella movit, qui † sicut mirabilis est in Sanctis suis, & in illis * laudatur, ita ab ijs, qui illis detrahunt, qui illos scommatibus persequuntur, qui illis adversantur, DEO detrahunt, DEUM persequuntur, DEO adversantur? † PRÆDICANS LUTHERUS. Quem Solimannus Turcarum Imperator, coram Cive Hagiense Anno 1533 ob perturbatam Rempublicam Christianam, oblatâ illi etiam sua liberalitate ac munificentiâ, ampliter collaudavit? * LUTHERUM PRÆDICANTEM. Cujus Religioni Erasmo Roterodamo teste, judicavit ipse Turca, individuas Comites esse, Rebelliones, & seditiones? † LUTHERI PRÆDICANTIS. Quos dicit idem Erasmus, *fiduciam suam in improborum conspiratione, in seditiosis* tumul-

† *Luth. Tō. 2. cont. duo mand. Cæs. Et in utroque script. cont. Reg. Angl. Et cont. Ord. Episc.*

* *Luth. de capt. Bab.*

† *Psalm. 67. v. 16.*

* *Psalmo 150. v. 1.*

† *Luth. multis in primo suo Scripto cont. Reg. Angl.*

* *Florim. Rem. d...*

Her lib. 3 cap. 10 num 4. Idē florin. †Era. Epist in Pseudo. Evāg. edit Basileē. Anni 1540 apud Gretf. Lib. cui titulus Desid Eras. Rot. de nov: Evang. novuq. Evag iud. *Eras. ibid.

tumultibus, in maledicis Libellis (qualis QVERELA est) *in armis, in fucis, & technis, reposuisse?* * Lutheranos PRÆDICANTES. De quibus habet hæc idem Erasmus: *Dum neminem amant præter se se, dum nec* DEO, *nec Episcopis, nec Principibus ac Magistratibus obtemperant, dum Mammonæ, Gulæ, ventri, & Inguini serviunt, postulant haberi pro Evangelicis?* † De Lutheranis PRÆDICANTIBVS. De quibus hæc quoque ille ipse Erasmus; *Qui se venditant Evangelij titulo, sic fermè rem gerunt, vt vel ad nequitiam, vel ad opes, vel ad Anarchiam, & quidlibet audendi impunitam licentiam spectare videantur.* Item; *Prætexitur Evangelica libertas, verùm non omnes eodem spectant, sunt qui hoc fuco quærunt insanam licentiam, serviendi carnis affectibus; sunt rursus qui invident opibus Sacerdotum, & sunt qui sua fortiter profundunt, Vino, Scortis, & Alea, ita rapinis inhiant aliorum, sunt deniq; quorum res in eo statu sunt, vt tranquillitas illis tuta non sit?* De Lutheranis PRÆDICANTIBVS, & quos illi seduxerunt. Plurima alia & maxima habet idem Erasmus, tanti à Luthero & Lutheranis æstimatus, de Lutherani Evangelij & Lutheranorum PRÆDICANTIVM fructibus, ne quæso mihi vitio detur, hæc tam parva & pauca transcripsisse, ad longum omnia descripsit & digessit † Iacobus Gretserus. Quam Religionem profitebantur illi, quos ad sonum Campanæ, quo faciendæ orationis Christiani homines admonentur, Maximilianus Secundus Imperator Viennæ Austriæ, prospectans ex fenestris, cum nihil se moventes, nulla devotionis & orationis indicia exhibentes animadvertisset, Timoleone Cossæo Brissaci Comite teste, * *Bone* DEVS, *vereor* (inquit) *ne hominum istorum societas nobis damnosa sit, & infælix?*

† Gretf. lib cui tit. Desid Erasm Rot. De nou Euangelio, novuque Evang. iud * Florim. Rem citat.

fœlix? LVTHERI PRÆDICANTIS, & aliorum qui illum ſecuti ſunt PRÆDICANTIVM. Quis IESV Chriſto Nazareno DEO & Homini, Bellum indixit, & depugnavit adverſus DEVM, Lutheranis publico id ſcripto conteſtantibus? † Calvinus PRÆDICANS & Calviniſtæ PRÆDICANTES. Quis Sanctos in Cœlo regnantes, larvarum, Carnificum, & Beſtiarum, nominibus & convicijs affecit? * Ipſe itidem PRÆDICANS Calvinus. Quem, ob ſeditiones & rerum novarum molitiones, ipſi Genevenſes aliquando, vnâ cum Farello proſcripſerunt? † Calvinum ipſum PRÆDICANTEM. Qui Authores, quod Germanis ipſis Lutheranis, tanta à Calviniſtis damna illata ſunt, vt de ijſdem Calviniſtis, Lutherani, in Reſponſione ad Legationem Regis Navarræ, plurimas QVERELARVM & lamentationum materias, has ſcilicet quæ ſequuntur, contulerint: * Calviniſtas, non contra Turcam, ſed pro Turca, operam navaſſe, Turcas adverſus Chriſtianos impuliſſe, Mauros in Hiſpanos incitaſſe, in Scotia Templa diruiſſe, in Galliæ Tractibus idem præſtitiſſe, Germaniam clade, Belgium multa cæde affeciſſe? Calviniſtæ PRÆDICANTES. Qui, vt in Gallia, Belli Civilis ſemina, ſæpe ſæpius repullularent, & Lugduni, precioſiſſimarum † Beati Irenæi (quem etiam QVERELA Sanctum & Martyrem nominat) reliquiarum pars alia, in profluentem demergeretur, alia, capitis nempe craneum, pilæ modo pedibus protruderetur, & per vicos plateaſque, toto die contumelioſè deluderetur? Calviniſtæ PRÆDICANTES. Quis Anglos docuit, primùm quidem à fide Catholica receſſionem facere, poſtea Regem illius Gentis,

† Graver. Luther. lib. cui Tit. Bell Ioan. Calv & IESV Chr. Naz. Dei & Hō.

** Calv. lib. 3. Inſt. cap. 20. § 27. Et in lib. de rat. reſor. Eccl.*

† Florim. Rem. lib. 7. ca. 17. nu. 5.

** Vide Reſpon. Germ cōfeſſ. Aug. addictorū ad lit. Reg. Navar. & ad Legati Segur: verba in lib. de Incēd. Calvin.*

† Vide Faverdent. in vita Beati Iren.

 Sere-

Serenissimæ ac Optimæ Legitimæque Conjugi, & Reginæ repudiatæ, Annam Bolenam, vxorio nomine, pellicem superinducere, Elisabetham ex Bolena susceptam, in sanguinem suum, sanctissimam Scotiæ Reginam, in Thomam Morum Cancellarium, in Edmundum Campianum, in alios, & innumeros Martyres, tot, ac tantis, novis, & inauditis tormentorum Carnificinarumque generibus, desævire? Calvinistæ PRÆDICANTES. Quis Scotiam in † Ogylbeum, & alios quàmplurimos eos quoque Martyres, pariter crudelem esse? Calvinistæ PRÆDICANTES. Quis apud Confœderatos Belgas, inter ipsos Calvinistas, recentis, & tantum nuper Belli, primus motor, incentor, & flabellator? * Arminianistæ, & Gommaristæ, novi nominis, & novi generis Calvinistæ PRÆDICANTES. Quis Author, vt Agriæ, quo tempore Achmat Bassa obsidionem ejus loci solverat, vnus Monachorum Ordinis Sancti Francisci, qui pro illius Oppidi ac populi conservatione DEVM ardenter deprecati fuerant, ab ijs tamen, qui Evangelicorum nominibus gloriantur, † Cruci alligaretur, ibidemque lentâ famis tabe conficeretur? PRÆDICANTES. Quis vt Anno 1580. in Festo Paschatis, Varadienses in Hungaria Catholici, in Campos religiosa processione profecti, à Calvinistis invaderentur ex insidijs, sacra vexilla diriperentur, Catholici in oppidum refugientes, illinc excluderentur & extorres aliò profugere cogerentur? PRÆDICANTES. Quis vt Anno 1610. die 20. Martij, Regum & Regni Hungariæ leges ac Statuta, de Archidiaconorum Cathedraticis censibus, in Lutherana Synodo Solnensi, sine Regis & Regni authoritate abrogarentur, turba-

† In Martyrio P. Ioann. Ogylbei.

* Vide Respon. necess. ad Contraremõst. contr. declar. editã Lugduni Batavorum Anno 1618.

turbarentur Archidiaconi? PRÆDICANTES. Quis peragendæ Gabrielis Bathorei Principis Transylvaniæ cædis, incentor, hortator, & persuasor? Stephanus Decsi PRÆDICANS Varadinensis. Quis insurrectionis & sanguinarij tumultus Andreæ Nagy Haidonum Capitanei, suggestione sollicitator, & procurator? Matthæus Foktöi PRÆDICANS eorundem. Quis Anno 1618. cumulando in Ecclesiasticos Auditorum, quos in Comitatu Iauriensi, Villâ Patahaza habuerat, odio, Canonicos Iaurienses totidem Boves ausus est proclamare? Nicolaus Göncz PRÆDICANS Patahaziensis. Quis Bohemiam, Austriam, Moraviam, Silesiam, in eam animorum dissensionem atque diffidentiam conjecit, quæ in hæc Bella, & has ruinas erupit, quibus jam pulcherrimum illud Regnum, & tam nobiles opulentaque Provinciæ deformantur, dispoliantur, & propè in solitudinem convertuntur? Bohemici, & præcipuè Pragenses PRÆDICANTES, qui priusquam hæc fierent, Evangelium vehementer pati, defendendi illud quacunque via possit tempus instare, pro pulpitis vociferantes sunt concionati. Quis paulo ante hæc intestina Hungarorum Bella, seditiosum † Libellum, quasi Bellorum cotem, Hungarico Idiomate edidit, in quo Sacram Cæsaream, Regiamque Majestatem, Archiepiscopum Strigoniensem, & alios Catholicos convicijs lacessivit, & innocentes Iesuitas, professos non Catholicorum hostes, quo animos horum in arma irritaret, provocaret, & acueret, conclamavit? Stephanus Milotanus PRÆDICANS & Superintendens in Transylvania. Quis Anno 1619. concitando & contrahendo in

† Vide librum Hung cui titulus Regestum conviciorũ Petri Pazmany Iesuita editum Anno 1618.

Regiam Majeſtatem, FERDINANDVM Secundum Hungariæ & Bohemiæ Regem, jam etiam Imperatorem Auguſtum, Tranſylvanorum Bello, legationem peregit? Petrus Alvinczi PRÆDICANS Caſſovienſis. Quis Poſonij Anno 1619. poſt initium menſis Auguſti, in Ædibus Præpoſituræ, Bellum ab Evangelicis in Catholicos eodem Anno movendum, nominatis etiam certis Capitaneis, qui huic operi jam deſtinati fuerant, paulo antea quàm Civiles hi tumultus publicatis ſignis inchoarentur, conſcius illorum, coram ejuſdem loci Præpoſito, & Domino Marco Curti natione Dalmata, prædixit? Stephanus à Lasko PRÆDICANS Patahazienſis. Quis in ipſis Belli tam recentis initijs, Anno 1619. circa primos menſis Septembris dies, cum Paulus Sabarienſis Canonicus Agrienſis, in Decimis frugum verſatus, ad induſia vſque veſtibus omnibus ſpoliatus, † Bubulis (vt ille loquitur) Cottabis, ad ſanguinem totius oris, & corporis, crudeliter cæſus, in Oppido Szanto comparuiſſet, actum quidem ab ipſo, & ipſi ſimilibus PRÆDICANTIBVS vt Hungari inſurgerent, non tamen vt ad illud exemplum agerent, quo cum dicto Canonico actum videbat, confeſſus eſt? Georgius Tardi PRÆDICANS Szanthoienſis. Qui Authores, vt eodem Anno & Menſe, Iaſzoviæ, Capitulum Agrienſe diſpoliaretur, & Dominus Ladislaus Maitini, Epiſcopus Sirmienſis, Eccleſiarum, Agrienſis, Saghienſis, & veteris Budæ Præpoſitus, Tabulæ Regiæ Prælatus, præter tantas dignitates, & generis antiquâ & morum ſingulari nobilitate clarus, ſomno ac lecto exturbaretur, Bonis omnibus exueretur, diſtraheretur, vexaretur, & vitam pactâ pecuniæ

† *Plautus in Trinummo Act. 4.*

ſumma redimere, Canonici verò variè profugere cogerentur? PRÆDICANTES, quorum ante hos tumultus, viginti circiter, irritandis animis, ſuſcitandoq; Bello, in Superioris Hungariæ Comitatibus, primùm convenerunt, poſtea curſando, ſuggerendo, hortando, animando, tantis incendijs initium fecerunt, progreſſibus flabellum, & vim, conſilijs, & linguis addiderunt. Quis, vt Caſſoviæ, Vir Illuſtris Andreas Doczi, Sacræ Cæſareæ Regiæque Majeſtatis partium Regni Hungariæ Superiorum Generalis Capitaneus caperetur, vinculis adſtringeretur, captivus detineretur, officio, dignitate, & Bonis, ſine Iuris proceſſu, ſine Iudicis ſententiâ, imô in ſigni injuriâ & legum & Magiſtratus, exutus, in captivitate moreretur, Marcus Criſinus, Archidiaconus Comaromienſis, Canonicus Eccleſiæ Metropolitanæ Strigonienſis, Stephanus Pungratz, Melchior Grodecius, Societatis IESV Sacerdotes, primò quidem obtruſo palpo, poſtea deſpumantium comminationum territamentis, ideò circumduci tentarentur, vt à conſtanti fidei Catholicæ profeſſione abducerentur, quo toto malo conatu in fumos ac ventos abeunte, multiplicatis lethalibus vulneribus crudeliſſimè enecarentur, & vno adhuc illorum ſpirante, omnes in fœtentem Latrinam, Cœlo digni Martyres, & recepti ſecundùm animas, corporibus deijcerentur? PRÆDICANS Aluincius, multorum malorum, veteri jam ſuo more, vbi Author, vbi fautor, vbi approbator; ſic enim illi peculium creſcit, & illis quæ Bocskaianis tumultibus malè pepererat, cumulus apponitur. Quis, cum Bohemi Anno Superiore in Suburbijs Viennenſibus ſtativa haberent, cõvenit Vijvariò, fovendis, & Hungariæ

quoque inferendis, propagandisque tumultibus? Petrus Csene PRÆDICANS Vijvariensis. Qui item Authores, vt sacræ & religiosæ piorum ac devotorum hominum peregrinationes, ad Oppida Sancti Georgij & Modor in Posoniensi, ad Predmir in Trinchiniensi, ad Sanctam Annam in Saarosiensi, Varallya in Scepusiensi, Comitatibus impedirentur, & in eodem Comitatu Scepusiensi, Templum Keőrtueliesiense, admotis scalis, perfractis tecto & fornice, violaretur; Stephanus Tolnai, Canonicus Agriensis, ad mandatum Regiæ Majestatis, ad Comitia Generalia Anni 1619. Posonium, publico, id est Capituli nomine veniens, in Oppido Solnensi, his verbis salutaretur; O Papistæ, omnes vos his diebus delebimus, Georgius Nagy Canonicus Posoniensis; dum juxta Regni leges executionem, quæ Capitularibus personis agenda incumbit, & quidem ex mandato Suæ Majestatis, quod ad manus habebat, apud Iudicem Modrensem in Comitatu Posoniensi perageret, primò, excusso è manibus Regio mandato, pòstea ab eodem Iudice convicijs & lapidum comminationibus lacesseretur; Parochus Schlecensis in Oppido Rosombergh, in Comitatu Liptoviensi, cachinnis, sibilis, & lapidum ictibus exciperetur, Bazinij in Comitatu Posoniensi, Parochi Senquicensis, & Bazjniensis, gravissimis injurijs onerarentur, imò in hujus Ædes Parochiales, etiam Bombarda exploderetur, vt securitatis causâ in Arcem illi profugiendum esset, Petrus verò Tislarich Parochus Aizgrubiensis, ibidem, id est Bazinij, sub ipso Diætæ Generalis tempore, Anno 1619. verberaretur, in capite tot ac tantis vulneribus afficeretur, lapidibus propè obrueretur, & partim

copioso

copioso illius sanguine; quem effuderant, partim luto; cui illum involuerant, toto ore ac corpore deformatus, seminecis instar primò relictus, postea piâ Catholicorum operâ inde abductus; ab Adversarijs etiam apud Chirurgum, per summam Ecclesiasticæ immunitatis violationem, tanquam vile mancipium Custodiæ subijceretur, & alia Tyrnaviæ, Szakolcæ, & Posonij, talia, & tam gravia patrarentur, quæ ne in Historijs quidem, vel apud seros posteros sine admiratione ac commiseratione, vel legi poterunt, vel commemorari? PRÆDICANTES. Ita sentiunt hæc PRÆDICANTES, vt negare non possint, si negent, facillimè convincantur. Ex quibus omnibus quàm pacis filij, quàm inimici turbarum, imò potius, quàm inimici sint pacis, quàm appetentes turbarum, & quàm iniquè à PRÆDICANTIBVS, Patriæ nimirum & Legum turbatoribus, CLERVS turbetur, & traducatur, redditur apud omnes, qui hæc legunt, manifestum.

His ita ad tua objecta responsis, valere jusso, tuo PRÆDICANS, ad Principes declamatorio † Epilogo, tanti vt spero apud illos habendo, quanti conviciatores æstimantur apud magnos Viros, bonis dictis, animis, linguis, & auribus assuetos; quod tu postremò posuisti, primum ac maximum, id ego tibi in hujus meæ scriptionis Conclusione; in quâ in omni disputatione ac deliberatione, vis, & quadam quasi argumentorum anima esse solet; refutando reponam. *Querel fol vltimo.*

Ais, quæ scripsisti (in tua scilicet QVERELA, non enim est Hungariæ, nisi à tua inscriptione) ideò tibi publicanda placuisse, (tuis verbis vtar, quibus tu abusus *Querela fol. 28.*

es)

es) *vt jam tandem vel hoc modo, cum secus fieri non potuit, Regia Majestas gravamina nostra consideret, intellectiſq; justis rationibus, doloribus, pressuris, difficultatibus & gravaminibus, ne miretur Sua Majestas, quod nos tueri, Religionem & leges propugnare insurrexerimus.*

Mi PRÆDICANS quò evades his verbis, quæ etsi in tui tuorumque excusationem scripseris, accusas tamen & temetipsum, & illos quos defendis? Cur scripseris, cur scriptum tuum sub QVERELÆ nomine publicaveris, intentionem ab executione ostendis, illam per istā explicas. Quomodo? mox videbimus. Duos fines narras scriptionis tuæ, sive illos intermedios, sive subalternos, alterum alteri subservientes, sive separatos ab invicem cogites, tu videris, ego scio neutrum esse vltimum, hunc enim non scripto, sed armis exequimini. Primus est, *vt jam tandem vel hoc modo, cum secus fieri non potuit, Regia Majestas gravamina nostra consideret.* Secundus hic est: *Intellectiſq; justis rationibus, doloribus, pressuris, difficultatibus, & gravaminibus, ne miretur Sua Majestas, quod nos tueri, Religionem & leges propugnare insurrexerimus.*

Querela fol. 22.

Primum sic impugnabo, vt te malè scripti, secundū, vt malè facti convincam. Et vtroque modo obtineam, Regiam Majestatem, quæ dum tu QVERELAM fingeres, jam etiam Imperatoria ac Cæsarea fuerat, neque scripto traducendam, neque facto armorum lacessendam fuisse. Si vtriusq; tuo te bono pœniteat, alterum palinodia, alterum studio, industria, labore, vigilijs, conciliandæ conservandaque pacis & tranquillitatis compensabis.

Querela fol. 22.

Ad primum: Quid est illud *Iam tandem*? Quid tandem?

dem? An quia multo antea tempore, quàm hæc tu scriberes, gravamina vestra Regiæ Majestati consideranda proposueratis, quæ tamen non consideravit? Multum temporis, hanc scriptionem, vel in arma insurrectionem vestram, quam hac scriptione juistis excusatum, nõ præcessit. Rem compendio demonstrabo: Anno Domini 1619, dies 20. Mensis Martij, Matthiæ Regnum clausit, aperuit FERDINANDO, illi vltimus regnandi, huic primus fuit. Ab eo obitus illius die, ad illum, quem iste Comitijs generalibus Posonium indixit, in quibus Comitijs gravamina tolli debuerant, duo tantummodò Menses, & dies circiter septem decurrerunt. Multine isti dies? pauciores quàm vel Status & Ordines postulaverant, vel Rex suo Diplomate promiserat. Illi enim postulaverant, *vt intra decursum sex Mensium ab obitu prætactæ olim Cæsareæ Majestatis computando, publicam, eisdem Statibus & Ordinibus Diætam Posonium indicere dignaretur.* *In Præfat. Artic. Generalis Diætæ Poson. Anni 1619.* Hoc FERDINANDVS intra decursum duorum Mensium & dimidij est exequutus, & promisso suo ita satisfecit, vt prævenirct eorum quibus promiserat expectationem. Conventum Posonium toto Regno, ad Comitia, & à frequentibus celebrata. At Rex FERDINANDVS non interfuit. Ita est: Sed illius absentiam solenni Legatione, quam à me, & alijs Collegis meis, (septem eramus numero) Viennæ peragi voluerunt, Anno quem paulo ante nominavi, die 11. Iunij, imò & publico postea † Statuto, Regni legib⁹ adnumerato, excusarunt Status & Ordines. Accedit, Comitia ex authoritate Regia peragendi plenipotentiam, Domino Palatino, ab eâdem Majestate, ad postulationem Statuum & Ordinum con- *In Præfat. jam citata.*

Q cessam,

cessam, & ab ijsdem humiliter & gratè acceptam, ijdem scriptis legibus sunt contestati. Actis Comitijs ad diem 26. Maij, qui Dominicus fuit, & festum Sanctissimæ Trinitatis indictis, in quibus Menses Iunius & Iulius effluxere, proposita gravamina, quæ tollendi potestatem Dominus Palatinus habuerat, sed lege latâ ab ijsdem Statibus & Ordinibus in futuram Diætam sunt rejecta. Iam, inter finem istorum Comitiorum, & principium insurrectionis, cujus tu causas perscripsisse vis videri, si tempus ad primos Belli motus, & locum vbi inchoati sunt, retuleris, vix viginti dies intercesserunt, certè nullo modo triginta. Hac dierum supputatione, & brevissimo Regiminis FERDINANDI tempore, cur ais illud VT IAM TANDEM? Fortassis quia sæpe illi aliàs gravamina fuerant proposita, & post multas illas vices, etiam IAM TANDEM? At nunquam alias proposita fuerunt, sed neque antea, vel tempus, vel locus fuit proponendi, cum illa in Comitijs proponi soleant, nec alia quàm de quibus jam dixi fuerint celebrata, neque intra tam breve tempus potuerint celebrari. Vel demum cur illud IAM TANDEM? An ideò, quia alias renuerit considerare, VT IAM TANDEM velit? Sed nunquam renuit, qui enim renuere potuerit, quæ nunquam illi alias proposita fuere, imò ne tunc quidem semel Regi, sed Domino Palatino vices Regias obeunti? Sive itaque ad Mensium numerum, sive ad vnicam propositionis vicem, sive ad Regiæ Majestatis voluntatem respicias, illud tuum TANDEM, si tandem vides, TANDEM esse non potuit, sed tantum fingi.

Querela fol. 22. Quid illud VEL HOC MODO? An quia alius

modus

modus non fuerat à tuâ ſcriptione? Certè hic modus, ab iſto ſcriptionis tuæ modo, ita novus eſt, vt amplius nunquam vſu venerit. Quando enim in Hungaria Regiæ Majeſtati gravâmina eo modo, quo tua ſcriptio tot vitijs ſcatet, fuere propoſita? Vitia hæc ſunt: primo, QVERELAM HVNGARIÆ vocas, cui nullus Hungariæ Status ex integro conſenſit. CLERVM, qui primus Status eſt, nō conſenſiſſe certum eſt, certum Magnatum multos & præcipuos, Nobilium multos, multos & Civium, hoc eſt, quicunque ſunt Catholici; ſed ne illi quidem omnes, qui non ſunt Catholici conſenſerunt. Non itaque eſt QVERELA Hungariæ, ſed vel tua, vel aliquorum tantum Hungarorum. Secundò, Regiam & Palatinalem electionem vellicas, quam vtramque ipſamet Hungaria, publicatis legum monumentis ritè ac legitimè factam conteſtata eſt. Qui igitur Hungaria contra ſemetipſam QVERELAM inſtituerit & evulgaverit? Tertiò, cōviciaris, infamias jacis in Imperatores, & Reges, in Prælatos, in Magnates, in Nobiles, in Catholicos, in Lutheranos, in Calviniſtas, in vivos & mortuos. Quartò, nihil probas abs te objectorum. Quintò, ſine loco prœli, ſine nomine Authoris, ſine tēporis, quo QVERELA edita eſt, deſignatione, illam publicaſti. Sextò, extra Comitia, & quà quà potuiſti vulgaſti, cum gravamina in Comitijs, neque Typo, ſed ſolum ſcripto proponi ſit conſuetum. Septimò, talis eſt hæc tua ſcriptio à capite ad calcem, & in vniverſum, vt tali, vel illi ſimili, gravamina vnquam Regiæ Majeſtati propoſita fuiſſe in Hungaria, neque legeris in Hiſtorijs, neq; tu memineris, neque ab vllis audiveris memoratum. Alio itaque modo

Querela fol. 7.

ſcribendum fuerat, alio gravamina proponenda, ſed hunc modum, à tumultibus, & ab armis, quæ ſcriptioni tuæ præmiſſa eſſe voluiſti, & vidiſti, accepiſti.

Quid illud, CVM SECVS FIERI NON POTVIT? Qui nō potuit? Quis, & quomodò impedivit? Nullus & nullo modo. Leges ad futurā Diætā gravamina proponenda & tollenda † diſtulerunt, cur illam non expectaſtis? cur in illâ poſtea non propoſuiſtis? Ita enim ſecus, & rectè ad leges, & ex vſu ad quietem, ac pacem, & ex conſuetudine Majorum noſtrorum, quin & omnium temporum, fieri potuiſſet, & debuiſſet. Imò qui ſic fieri debuit, vt vos fieri voluiſtis, & factum reddidiſtis, vt prius Armis & Bello, & quæ ex illo ſequuta ſunt incommodis, & Regi, & Regno, & Statui Catholico, imò & alijs multis, ingentia gravamina intuleritis, quàm veſtra, quæ vel nulla ſunt, vel non tanta, neque magna, propoſueritis auferenda? Vides SECVS FIERI POTVISSE, & te ſecus ſcribere debuiſſe, ſi ex ratione ſcripſiſſes, & non tantum ex voluntate.

† Articulorum Anni 1619. Art. 1.

Quid illud, REGIA MAIESTAS GRAVAMINA NOSTRA CONSIDERET? Gravamina veſtra, ſi quæ paſſi eſtis, cōſideratura fuerat tunc, quādo Status & Ordines, ab eādē Majeſtate cōſiderāda, ſtatutis ea de re legibꝰ voluerūt, hoc eſt, in futura vt jam dixi Diæta; Gravamina verò relinquo alia, maxima illa quoq;, & plurima, quæ aliàs, ſed quæ hoc Bello, nō Catholicis tantū, ſed & veſtris, & toti Regno intuliſtis, pio & planè paterno dolentiq; animo conſideravit, & tam Regi gratius, quàm vobis vtilius accidiſſet, ſi vos ille in pace florere, quàm hoc Civili Bello, & tot tumultibus deflorere, & quietos ac fœlices, quàm tumultuantes & infœlices ætatem agere, conti-

nuò

nuò quin perpetuò considerare & lætari potuisset. Gravamina quæ passi fueritis, in vestro scripto nulla esse, ex his quæ superius ad longum ostendi, satis intelligitis, quæ vos aliàs, & quæ hoc vestro Bello, alijs feceritis, imò quæ & ipsi vobis authoribus, ac proinde à vobisinetipsis patiendo experti sitis, multa esse, & non parva, satis persensistis. Et vtinam quàm ista clementer Regia Majestas considerat, tam vos benè vobis consuleretis, longè abessetis à turbis, à tumultibus, & quæ his connascuntur malorum Myriadibus.

Ad secundum scriptionis tuæ scopum, ac finem, hæc habe: Etsi ex superioribus, prætextus omnes, rationum, dolorum, pressurarum, difficultatum, gravaminum, quæ his ipsis nominibus commemoras, satis retectos, & ad lucem atque evidentiam vsque demonstratos intelligas, meros prætextus esse, non autem justas rationes, non dolores, non pressuras, non difficultates, non gravamina, quæ quidem vos, nobis, vel etiam alijs Catholicis, vel quibuscunque alijs, vel inferentibus, vel Authoribus pertuleritis, neque vos vestri tuendi causâ, quos nemo oppugnavit, vel Religionis vestræ, quam nemo turbavit, vel legum, quas nemo violavit, insurrexisse; vel si hæc commissa sunt, cur oppugnatorem, cur turbatorem, cur violatorem lege non convenistis, quam quis renuit? Neque Judices defuerunt. Cur in armis patrocinium, in tumultibus, in cæde, in sanguine innocentium, quos necastis, (facientes enim & consentientes pari pœnâ puniuntur, & quod per alios fecistis, vos ipsi fecisse rectè judicamini) Religionis vestræ incrementum, in legum eversione, leges quæsivistis, à legum & æquitatis ratione alienas?

Querela fol. 22.

Plautus in Amphitr. Cur sicut in Amphitruone fabula est, duplicatum Sosiam, ita ad imitationem vivæ veritatis, falsitatis Idolo larvam induitis, multorum deceptricem? Nihilominus tamen ecce malefacti te convincam, in hac insurrectione, quam tot prætextibus conatus es excusare.

Dic quo regnante insurrexistis? FERDINANDO. Quo regnante acta esse prætendis, quæ ab Imperatore Matthia, à CLERO, & ab alijs partim Catholicis, partim non talibus, scribis acta esse? Ipso Matthiâ Cæsare & Rege. Si hæc quæ Matthiæ adscribis, ille fecit, si fieri consensit, si permisit, si malè egit, si in malè agentes non animadvertit, sed potius illos promovit, si benemeritos non promovit, sed neglexit, imò dejecit officijs, vt QVERELA circumfert, cur illum paulo ante ejus obitum his verbis, quæ pro lege habent, collaudarunt Status & Ordines? *Propositiones Sacratissimæ Cæsareæ Regiæq; Majestatis Domini eorum clementissimi, per Serenissimum Principem & Dominum FERDINANDVM, Electum Hungariæ, & Bohemiæ Regem, Sacri Romani Imperij Electorem, Filium & Patruelem ejusdem Suæ Majestatis Charissimum, Dominum itidem eorum clementissimum, Statibus & Ordinibus Regni Hungariæ exhibitas, ijdem fideles Suæ Majestatis Status & Ordines, eo quo par est, fidelitatis obsequio acceperunt, atq; in accuratam deliberationem vniversa & singula deduxerunt. Quia verò animadvertunt Suam Majestatem Cæsaream atq; Regiam, tanquam Patrem Patriæ, non solum de optimo statu, & conditione huic Regno providere cupientem, verùm etiam de communi Reipublicæ statu, benignam & sollicitam curam gerentem, in id clementer incumbere, vt pro subditis suæ protectioni divinitus commissis, dies noctesq; paternè excubando, ditiones Suæ Majestatis*

Querel. fol 13. & 20.

In Comitijs generalibus Posonij Anno 1618. Art. 1.

tis ab hostili impetu tutæ & liberæ redderentur, atq; rebus securitati & tranquillitati undiquaq; restitutis, almæ quoq; pacis commoda quietè percipi possent. Item ibidem paulo inferius: *Quam Suæ Majestatis benigni affectus erga fideles suos subditos testificationem grata mente recolentes, summo semper studio præstituri sunt, enitenturq;, ut Sua Majestas de gratitudine ipsorum Statuum & Ordinum, omni subjectione & promptitudine exhibendâ, benignè & optimè contenta reddatur.*

Sed oppone te PRÆDICANS, Statuum & Ordinum tantis, tam magnis, & publicis laudationibus, & pone vera esse, quæ falsò scribis, & Matthiam omnia egisse, quæ illi affingis; Qui legis illud; *Filius non portabit iniquitatem Patris?* Cur pro Matthia in FERDINANDUM insurrexistis? Sed fortassis aliquid deliquerat etiam FERDINANDUS? Nihil illum deliquisse Status & Ordines testantur expressis verbis, & in leges ad seræ etiam posteritatis memoriam descriptis: *Quippe cum videant Suæ Sacræ Majestatis erga eosdem Status & Ordines, eam esse benignitatem, ut Sua Sacra Majestas, nihil omnino eorum quæ vel vigore Diplomatis sui Regij, vel Articulorum, tempore fælicis suæ coronationis Anno superiore sancitorum stabilita fuerant, in se se desiderari patiatur.*

Ezech cap. 18. v. 20.

In Comitijs gener. Poson. Anni 1619. in præfat. Artic.

Publica sunt hæc, quorũ authoritatẽ privatꝰ nõ infringes, nõ minues, nec in falsitatis suspicionẽ vocabis; aperta sunt, aliò, interpretãdo, nõ detorquebis. Nullã hæc tibi, nullã tuis occasionẽ, nullã causam reliquerũt, & ostẽderunt, ostenduntq;, nullã fuisse, vel contra Regem meritò insurgẽdi, vel de illo justè cõquerendi, quasi verò quidpiã eorum prætermisisset, aut transgressus aliquando fuisset, quæ vel fieri debuerant, vel promiserat, sive in ijs, quæ

Civilia

Civilia jura ac cõſuetudines, ſive in ijs, quæ religionis ac conſcientiarum ſtatum & libertatem concernunt. Quæ Status & Ordines, & ex illis alia Catholici, alia Lutherani & Calviniſtæ, gravamina eſſe dixerunt, & tollenda poſtularunt, in futuram Diætam, quam tumultus & Bella, ne poſſent celebrari, præverterunt, ab ijſdem Statibus & Ordinibus, iſtis Legum verbis ſunt rejecta: *Sublatio gravaminum dicto Domino Palatino porrectorum, habita ratione præſentis temporis, differantur, ac in futuram Diætam ante omnes alios Tractatus Diætales definienda, complananda, effectuandaque reſerventur.* Si non facta, non facta ſunt, ſi non cauſa, non cauſa, nihil fecit vt vides Rex FERDINANDVS, nullam cauſam dedit, cur adverſus illum inſurgeretis, & armis illum perſequi, quàm cauſam veſtram, ſi quam habuiſtis, verbis & legibus apud illum proſequi malletis. Prætextus tui, cõtra illos quos accuſas, & pro illis quos excuſas, prætextus tantum eſſe ſunt convicti; facta veſtra, quæ à culpa excuſari non poſſunt, pœnitentiæ remedio ſunt curanda, ſic inſurrectio, ſic ſcriptum tuum. † *Veritatem tantum & pacem diligite*, neque innocentibus crimina affingetis, neque ſcribendo falſis falſa cumulabitis, neque Rempublicam perturbabitis, neque ex Bellis Bella proſeminabitis. * *Scimus autem quoniam diligentibus DEVM omnia cooperantur in bonum*, illius dilectione, & proximi, quæ vel eadem eſt, ex vltimo quẽ reſpicit termino, & ex ſummo quo deſcendit principio, vel quâ proximum diligimus, in eâ quâ DEVM, includitur charitate, hæc cõſcripſi, ne aliò interpretemini, nolite iraſci, nolite conviciari PRÆDICANTES. Si enim licuit vobis falſa adverſum nos ſcribendo, CLERVM & alios Catholi-

In Comitijs gener. Poſon. Ann. 1619. Art. 1.

† Zachar. ca. 8. v. 19.

* Rom. ca. 8. v. 28.

tholicos, imò & non Catholicos traducere, cur non liceat nobis, vera ſcribendo, noſmetipſos defendere, & fictis facta opponendo, reſpondere ad calumnias? Quamvis, nec ea quæ in QVERELA habetis, nec alia, quæ vel alibi ſcribitis, vel aliàs adverſum nos comminiſcimini, criminamini, calumniamini, tanti ſint facienda, vel faciamus, vt nobis, qui † *Miniſtri* DEI ſumus *per infamiam & bonam famam*, & officij noſtri exercitijs, culpæ noſtræ conſcientiâ, vel moram, vel remoram faciant, ſed ne arma quidem, & alia incommoda, *Nos enim libentiſſimè impendemus, & ſuperimpendemur ipſi pro animabus veſtris, licet plus vos diligentes, minùs diligamur*; & tam pro vobis, quàm pro ijs, qui jam veſtri quidem ſunt religionis profeſſione, noſtri tamen Baptiſmatis communione, imò & pro illis, cum quibus nihil Baptiſmate communicamus, Dominum ardenter oramus, vtinam & exoremus.

2. Corinth. cap. 6. v. 4. & 8.

2. Corinth. 12. v. 15.

DEVS pacis, qui eduxit de mortuis Paſtorem magnum Ovium, in ſanguine teſtamenti æterni, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, aptet vos in omni bono, vt faciatis ejus voluntatem, faciens in vobis, quod placeat coram ſe, per Jeſum Chriſtum, cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Ad Hebr. c. 13. v. 20. & 21.

FINIS.

R Qui

QVI IN HVIVS APOlogiæ impreſſione, errores admiſſi ſunt, tranſcurrente operâ reviſos, & notatos, ſic corrige.

In Titulo lib. QVÆRELA *pro* QVERELA.
Fol. 4. *lin.* 1. integritate *pro* integritati
Fol. 5. *in margine* Epiſc: *pro* Epiſt:
Fol. 11. *lin.* 21. Idolololatras *pro* Idololatras
Fol. 12. *lin.* 7. qui *pro* quia
Eodē fol. lin. 8. derelinquerunt *pro* dereliquerunt
Fol. 27. *lin.* 18. ad quem *pro* ad quam
Eodem fol. in marg. 1. Timoth. deeſt cap. 2.
Fol. 30. *in marg.* recon. *pro* recen.
Fol. 35. *lin.* 14. ac colle *pro* à colle
Fol. 38. *lin.* 1. ſimpatia *pro* ſympathia
Fol. 49. *lin.* 16. optimè *pro* optimæ
Fol. 51. *lin.* 26. Cinicus & *pro* Cinicus es
Fol. 80. *lin.* 2. quàm *pro* quam
Fol. 91. *lin.* 5. colaribus *pro* collaribus
Fol. 119. *lin.* 26. quadam *pro* quædam.

